




Vak 41







DE CENSURIS IN PARTICULARI.

CONSTITUTIO
SS. DOMINI NOSTRI
PII PAPAE IX
APOSTOLICAE SEDIS

12 OCTOBRIS 1869

documentis indicatis munita et commentariis illustrata
ad usum Seminarii Buscoducensis.

STUDIO ET OPERA
A. GODSCHALK,
PROF. SEMIN.

Editio altera.



Gestel St. Michaëlis,
EX TYPOGRAPHIA DIOECESIS BUSCODUCENSIS IN
INSTITUTO SURDO-MUTORUM.

1880.

IMPRIMATUR.



HAAREN, 13 Januarii 1880.

J. Cuyten, *Libr. Cens.*

PRAEFATIO.

Nemo unus, qui sacris disciplinis tantisper operam dedit, ignorat aut ignorare potest, rem esse arduam amplissimum censurarum campum pede inoffenso decurrere. Difficultas ista ex natura materiei sponte sua dimanans, non ita pridem augebatur ob multitudinem censurarum quae saeculorum lapsu ab Ecclesia erant latae aut impositae; praesertim vero ob dubia quae haud raro de illarum obligatione in nostris rerum ac temporum adjunctis moveri poterant, movebanturque. Non deerant certe viri in re canonica et moraliter versatissimi, qui censuras a RR. Pontificibus vel SS. Canonibus infletas, aut collegerunt, aut allegarunt, suisque commentariis locupletarunt: manebat nihil secius legentium animus saepenumero in dubietate perplexus, utrum nec ne, sive per non usum aut contraria consuetudinem, sive per cessationem finis in communi, sive ob rerum aut temporum mutationem, sive ob aliam hujusmodi eausam, vim ac robur habere desiissent. — Summum itaque Reipublicae Christianae Sanctissimus D. N. PIUS Papa IX piae memoria contulit beneficium, dum negotium istud pro temporum morumque varietate moderaturus, quarto Idus Octobris anni 1869 celeberrimam edidit Constitutionem, qua censurae latae sententiae, ipsoque facto incurrendae, magna ex parte vel abrogatae, vel limitatae, vel aliter immutatae sunt, et insuper, quantum ad dubia olim mota, via magis certa ac tuta demonstrata fuit, ne sicut quondam per inumeros et incertos censurarum anfractus vagari cogeremur.

Litteras hasce Apostolicas, quarum in fine § *Decernentes* ipsemet Pontifex in terminis declarat, „sieque et non aliter in prac-

missis per quosecumque Judices Ordinarios, et Delegatos judicari ac definiri debere", ab omnibus Confessarii munere fungentibus noscendas esse, nullus sane inficias ibit. Volentes igitur, quantum in nobis est, alumnorum Seminarii nostri utilitati, commodoque prospicere, in animum induximus memoratam Constitutionem, documentis in ea indicatis munitam atque commentariis seu adnotationibus illustratam, typis edere.

Probe novimus, legis novae interpretationem opus haud facile esse; tum quod lex nova, ideo quia nova, per usum et consuetudinem, quae passim „optima legis interpres" vocitatur, nullam determinationem assecuta sit; tum quod, deficiente authentica interpretatione, facile contingere possit, explanationem a privatis datam a mente legislatoris alienam esse. Si quid equidem laborem nostrum alleviare, aut certe dictioni nostrae aliquantam auctoritatem attribuere valeat, illud profecto est, quod inspectis rebus, de quibus in Constitutione Piana disseritur (licet enim lex nova sit quoad formam, res tamen plurimae in ea contentae, novae non sunt), ejusdem explicatio majori ex parte jam facta censeri queat per ea quae de rebus istis auctores probatissimi scriptis consignarunt. Ceterum, quod Canonistae de interpretatione doctrinali universe admonent, hic speciatim notatum volumus: privatorum scilicet interpretationem tantum valere, quantum valent rationes et argumenta quae ab ipsis afferuntur, et aliter sentire integrum esse unicuique.

Titulus hujus opusculi „*De censuris in particulari*" in sua amplitudine complectitur omnes, etiam illas quae *ab homine*, vel *jure Episcopali*, vel per modum sententiae *ferendae*, in certis rerum adjunctis feruntur aut imponuntur. Verum explanationem Const. *Apostolicae Sedis* auspicaturi, inscriptionem istam in sensu magis restricto accipimus pro omnibus et solis censuris, quae veterum canonum auctoritate sive *jure Pontificio* per modum sententiae *latae ante diem 12 mensis Octobris anni 1869* indictae ac promulgatae erant.

CONSTITUTIO APOSTOLICAE SEDIS

documentis in ea indicatis munita, et
commentariis illustrata.



PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

„Apostolicae Sedis moderationi convenit, quae salubriter veterum canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, Eadem Apostolica Sedes congruum supremae sueae potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem cum animo Nostro jampridem revolveremus, ecclesiasticas censuras, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurriendae ad incolumitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiae tutandam, effrenemque improborum licentiam coercendam et emendandam sancte per singulas aetates indictae ac promulgatae sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositae fuerant, vel a pristina utilitate atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque conscientiae; Nos ejusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earundem recensionem

fieri, Nobisque proponi jussimus, ut, diligenti adhibita consideratione, statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta, ac Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant; simul declarantes, easdem non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione convenient, verum etiam hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.”

In prooemio hujus Constitutionis, quae exinde in sex Titulos seu capita distribuitur, nonnulla decernuntur, quae pro recta ejusdem intellectione et applicatione particulatim enarranda ac declaranda sunt.

1^{um} est *objectum seu materia*, quam SSimus Dominus Noster hisce suis Litteris moderari et temperare voluit. Objectum istud complectitur „ecclesiasticas censuras, quae (veterum canonum auctoritate, uti ex contextu apparet) per modum sententiae latae, ipsoque facto incurrendae, ad incolumitatem ac disciplinam Ecclesiae tutandam, enrenemque improborum licentiam coercendam et emendandam sancte per singulas aetates indictae ac promulgatae erant.” — Itaque hac ipsa Constitutione nihil quidquam immutatum fuit quantum ad legum *moralitatem*, seu obligationem in ratione culpe: tota mutatio est in ratione poenae. Consequenter — ut mentem nostram exemplo aperiamus — quae in regulis Indicis, vel alibi in jure, de lectione, retentione, impressione, aut venditione librorum salubriter constituta sunt, sub respectu moralitatis seu culpe in pleno vigore persistunt, atque adeo, ubi sermo est de peccato propterea commisso aut commit-

tendo, iisdem regulis ac principiis, prout antea, inhaerendum est.— Nihil quoque innovatum fuit quoad *poenas a censuris diversas*: quoties igitur contra aliquod delictum aut crimen alia poena, puta irregularitatis, infamiae, inhabilitatis, privationis, depositionis, degradationis, etc. in jure fuit lata seu imposta, de tali poena etiam hodie ex veterum canonum auctoritate judicandum est. — Nihil tandem novi statutum fuit quoad censuras sententiae *ferendae* seu comminatarias tantum; nec quoad censuras ab *homine* dictas; nec quoad censuras ab Episcopis aut aliis Ecclesiae Praelatis pro suis respectivis subditis *jure particulari* edictas seu inflictas; nec etiam quoad censuras jure Pontificio *post diem praesentis Constitutionis*, puta in Constit. *Romanus Pontifex* 5 Kal. Sept. 1873 (cfr. App. XIII ad Syn. Dioec. Buscod. pag. 225), quoquo modo, editas vel edendas. Verba superius allegata aperte significant ac denotant, in hac ipsa Constitutione solum agi de *censuris sententiae latae*, quae *jure Pontificio* pro majori Ecclesiae bono *jam pridem* constitutae erant.

2^{um} Concernit *scopum* seu *finem*, quem Pius IX has Litteras edendo sibi praestituit. Ait Pontifex: „incommodis (tum ex censurarum numero, tum ex temporum morumque mutatione profluentibus) occurrere volentes, plenam earundem (censurarum) recensionem fieri Nobisque proponi jussimus, ut, diligenti adhibita consideratione, statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere oportet, quas vero moderari aut abrogare congrueret.” Scopus ergo, seu finis ipsius est, censurarum materiam magis exaequare, ac praesentis temporis necessitudini accommodare. Quocirca — uti in decursu magis patebit — plures censurae antea latae, aut abrogatae, aut limitatae, aut aliter immutatae sunt; quaedam vero declaratae, vel etiam, quantum ad personas aut casus contentos, extensae seu ampliatae sunt.

3^{ium} Pertinet ad *locum* seu *fontem*, ex quo censurae ecclesiasticae, quae per modum sententiae latae jure Pontificio ante diem 12 Oct. 1869 impositae erant, in posterum desumenda sunt. „Hac perpetuo valitura Constitutione (sic dicitur in textu) decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae, hactenus impositae sunt, nonnisi illae, quas in hac Constitutione inserimus, eoque modo quo inserimus, robur exinde habeant.” Itaque quotiescumque in Jure Canonico aut S. Theologia de hujuscemodi censuris verba flunt, sedulo videndum est, utrum

poenae istae in hac ipsa Constitutione servatae, eodemque modo sancitae sint: secus enim ut abrogatae, limitatae, aut alias immutatae habendae sunt. Memorata Constitutio, ut ita dicam, lapis lydius est, quo praedictarum censurarum existentia, extensio atque robur probari debeant.

4^{um} Spectat modum seu normam interpretationis. Modus iste traditur verbis illis: „declarantes easdem (censuras) non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione convenient, verum etiam ex hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.” Patet ideo, censuras in hac Constitutione recensitas, intelligendas esse juxta veterum canonum traditionem, in quantum canones isti cum hac ipsa Constit. convenient; ubi vero canonum illorum sensus ab ipsa diversus est, vel etiam cum ea minus congruere videtur, praferendum esse sensum naturalem et obvium modernae Constitutionis non secus ac si primum canones illi ab ea editi fuissent. cfr. cl. Avanzini *de Constit. APOSTOLICAE SEDIS commentarii*. p. 64. edit. manual.

5^{um} Respicit censurarum applicationem ad casus particulares. Tametsi censurae in hac Constit. relatae, dicantur ipso facto incurri, et vim habere ac si primum ab ea editae fuerint; nihilominus, ut quis in casu particulari ob quoddam delictum, quod censura plectitur, istiusmodi vinculo vere ac realiter innodatus censeatur, praeter delicti consummationem in sua specie, an np. commissum seu completum sit secundum proprietatem verborum quae in lege continentur (qua de re, utpote speciale studium exigente, ad singulum Articulum seorsum disseretur), duo semper attendi ac serio pensari debent: videlicet a) Num reliquae conditiones, in ratione *subjecti*, *causae* ac *formae* de jure requisitae revera adsint. b) Nonne delinquens ob ignorantiam, metum, aut aliam causam excusantem, a poena imposita eximi, seu immunis haberri queat. Aliis verbis, quae *de cens. in gen.* § III et IV in universum tradita sunt, singulo in casu particulatim adverti debent, ut de vera ac reali censurae incursione rite judicetur. Exempli gratia in Art. I hujus Const. excommunicationi R. Pontifici speciali modo reservatae subjacere declarantur „omnes a christiana fide apostatae, et omnes ac singuli haereticici,” etc. Jam vero, licet quis non baptizatus in rigore theologico possit esse apostata vel haereticus, puta si catechumenus ante

baptismum vere credit, et dein vel a tota fide recedit, vel aliquem fidei articulum pertinaciter negat, talis tamen persona ob hujusmodi factum memoratam poenam non incurrit, deficiente np. baptismo, in *subjecto* censurae ecclesiasticae de jure requisito. cfr. Suarez *de Cens.* D. XXI sect. II n. 4. Ita quoque homo baptizatus errorem in fide Catholica in mente fovens, potest esse haereticus; attamen quamdiu haeresis interna fuerit, censuram supradictam haud contrahet, deficiente scil. requisito ex parte *causae* necessario. Pari modo homo baptizatus, haeresim externe prodens, licet etiam in foro externo (quod non judicat de internis) ut haereticus condemnatus esset, in foro conscientiae a poena excommunicationis immunis haberi posset, si forsitan interna mente a fide Catholica non dissentiret. Vide Suarez l. c. n. 3. Et sic in caeteris, quotiescumque — qua etiam de causa — in casu particulari aliquid defuerit, quominus censura ecclesiastica vere contrahatur aut contracta censeatur. In praesenti igitur quaestione serio quoque attendenda sunt principia, quae *de cens. in genere* l. c. cum probatis auctoribus tradita sunt de censurae obligatione, quando *dubium* juris aut facti de ejus incursione vere ac fundate adest.

6^{um}. Quod verbis sub 3 allegatis simul indicatur, ad censuram *reservationem* attingit. Censurac hic recensitae exinde robur habere dicuntur eo modo, quo in hac ipsa Constitutione insertae sunt. Verum — prout in decursu magis apparebit — ex censuris in ea relatis aliae R. Pontifici speciali modo, aliae Eisdem simpli-citer reservantur; aliae rursus Episcopis seu Ordinariis, aliae nemini reservatae declarantur. Res ista, ubi agitur de absolutione a censuris contractis, serio attendenda est, ne quis absolutionem impertiendo, potestatis suae limites incaute excedat.

NOTA. Quinam, quando et quomodo absolvere valeant a censuris in Const. *Apostolicae Sedis* propositis aut latius, colligi potest ex principiis generalibus n. 11 *de cens. in gen.* traditis. Quia vero ipsem B. Pater in hac ipsa Constitutione (in fine Tituli I) non nulla speciatim declaravit ac statuit de absolutione a duodecim excommunicationibus R. Pontifici *speciali modo* reservatis, materia ista, utpote singulari difficultati obnoxia, ibidem latius evolvetur.

Titulus I.

*Excommunicationes latae sententiae speciali modo
Romano Pontifici reservatae.*

„Itaque excommunicationi latae sententiae speciali modo
Romano Pontifici reservatae subjacere declaramus :

ART. I.

„Omnis a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos
haereticos, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque
sectae existant, eisque credentes, eorumque receptores, fau-
tores, ac generaliter quoslibet illorum defensores.”

Hoc art. breviori modo et ordine paulisper immutato instauratur ac renovatur, quod in Bulla *Coenae* § I magis explice constitutum et sancitum erat. Ibidem sic legitur : „Excommunicamus et anathematizamus ex parte Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, quosecumque Hussitas, Wiclefistas, Lutheranos, Zuiglianos, Calvinistas, Ugonottas, Anabaptistas, Trinitarios, et a christiana fide Apostatas, ac omnes et singulos alios haereticos cujuscumque sectae existant, ac eis credentes, eorumque receptores, fautores, et generaliter quoslibet illorum defensores.” 1)

In praesenti Constitutione, cuius ad tramites posthac incendum est, recensentur :

1º *Omnis a christiana fide apostatae.* Verbis istis excluduntur et seponuntur apostatae ab ordine aut religione tantum; comprehenduntur vero omnes apostatae a fide, seu perfidi striete dicti. Quamvis hujusmodi apostatae ab haereticis (de quibus mox sub 2º verba fient) essentialiter non differant, sed solum secundum magis aut minus, ut vulgo dicitur; pro majori tamen claritate specialiter nominantur, quia non solent haeretici vocari. cfr. Suarez de *Cens.* Disp. XXI Sect. II n. 3º.

1) Vide Bullar. Bened. XIV Tom. I p. 70. Edit. Mechl.

Porro si quaeratur, quinam ut apostatae a fide habendi sint, et qua tales excommunicationi subjaceant? Certum quidem exploratumque est, illos hic intelligi qui per Baptismum Ecclesiam ingressi, deserta penitus christiana fide, ad Paganismum, Islamismum, aut Judaismum transeunt: hi quippe antonomastice apostatae, vel etiam per oppositionem ad eos, qui post Baptismum et fidem susceptam in Nihilismum aut aliud genus incredulitatis decidunt, *formales* apostatae nuncupari solent. cfr Perrone *Prael. de virt. Theol.* p. I n. 523 seq. Dubitari vero potest, utrum eo nomine veniant, atque adeo poena praefata affiantur quoque Pantheistae, Naturalistae, Rationalistae, et alii id genus plures, vulgo Increduli, Liberi cogitatores, aut Liberales dicti? Pro solutione hujus quaestionis animadvertendum est, ad essentiam verae apostasiae ex communi doctrina requiri desertionem fidei christiana tanquam termini *a quo* defectio fit; non autem transitum ad aliam religionem velut terminum *ad quem* disceditur. „Simpliciter et absolute, inquit S. Thomas 2^a 2^{ae} Q. XII Art. I, apostasia est, per quam aliquis discedit a fide.” Et Card. Soglia *Inst. Jur. can.* p. III § 163 ed. 10^a. communem sententiam paucis complectens, ita scribit: „Ad crimen apostasiae non requiritur ad aliam religionem transitus, sed satis est, christianam deseruisse.” Illi igitur, quales proh dolor! inter ipsos etiam Catholicos hac nostra aetate nonnulli reperiuntur, qui praedictis erroribus plus minus imbuti sunt vel etiam neglectis hominis christiani officiis indifferenter vivunt quasi nullam habentes religionem; attamen fidem christianam non abnegant, aut saltem ita non deserunt, ut nolint amplius inter Christifideles connumerari; hi, inquam, uti veri apostatae spectari nequeunt, adeoque qua tales (aliud quippe contingere potest in ratione haeresis, de qua infra sub 2^o) memorata poena non censentur attingi. Contra illi qui, christiana fidei repulsa data, in Pantheismum, Naturalismum aut aliam infidelitatis speciem, vel etiam in Nihilismum seu plenum Indifferentismum dilabuntur, apostatarum denominatione videntur vere comprehendi, et consequenter excommunicationis poenae realiter subjacere.

Sententia haec ex natura seu notione apostasiae sponte sua dimans, a Theologis quoque ac Canonistis passim admissa (cfr Heijmans *de eccl. Lib. prob.* n. 275 et alii ibidem citati), tanto magis tenenda est, quod verba *omnes a christiana fide apostatas*,

quibus utitur Pontifex in sua Constitutione, attenta illorum historia, idem significant, ac *devios a fide*, quales certo certius sunt istiusmodi personae. Vide *Acta apud S. Sedem* Tom. VI app. p. 65—67. Item Avanzini, in suis *Commentariis* p. 66.

2^o Omnes et singuli haeretici, quocumque nomine censeantur, et cuiuscumque sectae existant. Haeresis, vox graeca, latine significat electionem ac sectationem, eo quod sit novae, et a communi Ecclesiae ac Spiritus S. vero sensu alienae doctrinae et opinionis electio aut secta (cfr Luc. Ferr. *Biblioth. V. Haeresis* n. 1^o). Opus itaque non est, quemadmodum prima fronte videri posset, ut quis ad coetum sive sectam ab Ecclesia separatam formaliter pertineat. Praefatis verbis denotantur omnes et singuli haeretici *formales externi*, qui np. per Baptismum Ecclesiam ingressi, in fide catholica cum animi pertinacia errant, et hunc suum errorem verbis, scriptis aut alias externe proferunt animo sic asserendi aut profitandi. Certe, etsi haeresis dividi soleat in formalem et materialem; haec tamen (materialis tantum), qua talis nec vera haeresis est, nec culpa aut peccatum, atque adeo poenam non meretur. Dein licet quis etiam interne seu mentaliter possit esse haereticus; hic nihilominus qua talis in foro *externo* — quo spectant censurae ecclesiasticae — poena non plectitur. Praefatae conditiones concurrere debent; sed et satis sunt, ut quis ob crimen haeresis excommunicatione innodetur. Etiam illi, quorum haeresis formalis externa etc. *occulta*, seu aliis ignota est, memoratam poenam non effugint. Ut „excommunicatio incurrit (ita S. Alphonsus L. VII n. 305) sufficit, ut manifestatio erroris etiam occulte fiat, quin aliis innotescat; prout certum est et commune cum Salm.... et aliis passim.” Plura vides penes Reiffenstuel L. V Tit. VII n. 239—246; Suarez de *Cens. Disp.* XXI sect. II; item S. Ligorio L. VII n. 300—304.

3^o Eisque credentes. Horum nomine veniunt illi, qui Apostatis vel Haereticis *qua talibus* fidem adhibent, externe assentiendo erroribus per eos admissis aut propositis. Possunt isti esse veri haeretici, si forte ipsorum agendi ratio conjuncta sit cum animi pertinacia in errore contra fidem catholicam; quo in easu haereticorum denominatione (de quibus supra sub 2^o) jam continentur. Possunt etiam non omnino esse haeretici, si np. pertinacia in errore desit;

et tunc potius haereticorum sequaces, quam haeretici vocandi sunt. Quia vero tales personae, haereticis qua talibus fidem praebendo, eorum haeresi speciali modo implicantur, ideo distincto nomine optime exprimuntur; tanto magis, quod non omnes sint veri haeretici. Porro ut quis haereticorum *credens* appelletur, necesse haud est, ut haereticorum erroribus in particulari aut distincte assensum praebat; satis est, iisdem externe, verbis aut signis, fidem adhibere etiam in communi aut confuso tantum. „Qui credit et dicit, inquit Salmanticenses *de Cens.* cap. IV n. 63, haereticum talem rectam fidem habere, etiamsi in particulari de illius errore non cogitet, dicitur *credens* in communi: et in confuso dicitur haeretico *credens*, si dicat credere quidquid haereticus credit: et uterque excommunicationi contra *credentes* latae subjaceat; et etiam ille, qui animo assentiendi illius erroribus ipsius audit praedicationem, aut scripta illius legit.”

N. B. Quod hic dicitur de praedicationis auditione ac scriptorum lectione *assentendi animo*, extendi nequit ad eos, qui talia ex mera curiositate aut simili motivo praestant. Quamvis enim ratione periculi aut scandali saepe peccent; haereticorum tamen *credentes* ex capite illo non reputantur, uti merito notat Suarez *de Fide Disp.* XXIV sect. I n. 3.

4⁰ *Eorumque receptores, fautores, ac generaliter quilibet illorum defensores.* Voces illae, teste Concina L. I in *Decal.* Diss. II cap. VIII n. 3, intelliguntur in rigido sensu seu formaliter, quatenus np. receptatio, favor aut defensio praestatur Apostatis vel Haereticis *qua talibus*, vel — quod idem est — in eorum apostasia aut haeresi. „Excommunicatio, ut cum Suarez loquamur, fertur in poenam et in odium haeresis: et ideo sicut primario fertur in haereticum ratione haeresis, ita derivatur seu extenditur ad alios secundum habitudinem ad eamdem haeresim, atque adeo quatenus illi favent quovis modo in ipsa haeresi.” (*de Cens. Disp.* XXI sect. II n. 8.) Consequetur si quis Apostatam vel Haereticum titulo amicitiae, consanguinitatis, hospitalitatis, etc. reciparet, defendaret, aut ipsi faveret, praefatam excommunicationem non incurreret, quoniam auxilium ex tali motivo praestitum, non censetur Apostatae vel Haeretico *qua* tali factum. Ab alia vero parte haud exigitur, ut similia iisdem exhibeantur, *quia* Apostatae vel Haeretici sunt.

Requiritur et sufficit, iis succurrere qua talibus, sive ut apostatae vel haeretici sunt. Cfr. Suarez *de Fide Disp.* XXIV sect. I n. 9.

Hisce delibatis, quaeri potest: quando apostatae vel haeretico qua tali receptatio, favor, vel defensio censeatur exhiberi, atque adeo quispiam ob suam agendi rationem verus receptor, fautor aut defensor reputetur?

a) „Crimen receptatoris (ita Suarez *de Fide Disp.* XXIV sect. I n. 4) in hoc consistit, quod per receptionem haereticus vel occultetur et custodiatur, ne in manus ministrorum Ecclesiae veniat, vel juvetur ut fugiat, vel recipiatur ut in domo vel civitate aut provincia secure vivat in suo errore vel illum doceat.” Variis itaque modis receptatio contingere potest: nec opus quidem est, ut similia frequenter fiant. „Sicut unus actus haeresis ad constitendum haereticum sufficit, ita unus actus recipiendi constituit hominem receptatorem,” uti loquitur Sanchez *Praec. Decal.* L. II cap. X n. 10. — Caeterum ut de reali censurae incursione ob hujusmodi receptionem rite judicetur, heic pae oculis habeatur, quod in prooemium hujus Const. sub 5^o adnotatum fuit.

b) *Fautoris* nomen latius patet, quam receptoris. Omnis receptatio est favor; ast omnis favor non est vera receptatio. Sunt autem multi modi favendi haereticis, et quilibet eorum sufficit ad fantorem constituendum, dummodo favor praestetur cum aliqua habitudine ad haeresim. . . . Generatim autem loquendo, duo sunt modi favendi haeretico, scilicet *committendo* et *aliquid faciendo*, vel *omittendo* aliquid facere. Prior modus facillime explicatur, praestatur enim favor vel consilio, vel testimonio et aliis similibus verbis vel rebus, ut pecuniis, armis etc.; quidquid enim horum fit ad favendum haeretico in suo errore, vel ad defendendum ipsum ab Ecclesiae correctione, est positivus favor. . . . Omissive autem censetur favere, qui omittit facere quod tenetur, ut haereticus puniatur, vel ab errore cesseret Ita docent omnes juxta caput *Error* 83^a *Distinctione*, et caput *Qui alios, de haereticis*. Hic autem modus favendi supponit obligationem puniendi vel similem, quia non est omissionis moralis, nisi de his quae facere tenemur. Imo necessaria est obligatio, quae aliquo modo sit justitiae, seu ex officio impediendi vel tollendi haereses.” Ita Suarez *de Fide* l. c. n. 6.

c) *Defensor* tandem idem sonat, ac defendens. Necesse quippe

non est, ut quis ex consuetudine vel officio sic agat; satis est, modo haereticum aut apostamatam *qua talem*, etiam unica vice, defendat. „Duplex vero, ut idem Auctor l. c. n. 5. scribit, potest esse haec defensio :.... una personae, alia doctrinæ. Ad priorem non satis est quomodocumque defendere personam; nam si defendantur, ne occidatur ab injuste invadente, vel ne spolietur a latrone, non incurretur hoc erimen, quia illud non est defendere haereticum, sed proximum..... Altera vero defensio doctrinæ magis directe et per se est defensio haeretici, ut haereticus est. Fit autem haec defensio vel laudando doctrinam, utique in particuliari illam quae est contraria fidei; nam si laudet quis eruditonem, eloquentiam, vel ingenium haeretici, tunc non erit proprius defensor. Magis autem fit haec defensio disputando pro haeretico, vel ad objectionem contra illum respondendo. Neque obstabit, quod haec fiant animo haeretico; nam tunc licet sub una ratione sit haereticus, sub alia erit etiam haeretici defensor; e contrario, quamvis id non faciat animo haeretico seu ex interna haeresi, et ideo non sit proprius haereticus, nihilominus esse poterit haeretici defensor, quia ad hoc non est necessaria haeresis interna.” Ex quibus denique colligere est — uti supra de fautoribus similiter dictum fuit — quod defensoris denominatio latius pateat quam receptoris. Omnis receptor verus defensor est; at vice versa non omnis defensor est verus receptor, quia defensio multis aliis modis contingere potest.

De caetero, ut propter receptionem, favorem aut defensionem apostatarum vel haereticorum excommunicatio contrahatur, haud requiritur, ut illi *qua tales* denuntiati fuerint. „Prorsus tenendum est, inquit Sanchez *in praec. Decal.* L. II cap. X n. 6, minime desiderari.... haeretici denunciationem: sed satis esse, unde receptans vel favens norit illum esse haereticum: quia haec non prohibentur in hac excommunicatione tanquam participatio cum haeretico, ut *excommunicatus* est; sed solum ea ratione, quia *haereticus* est. Unde etsi haereticus ille non esset excommunicatus v. g. ob ignorantiam censuræ, favens illi ut haereticus est (idem est de receptante ac defendantे), incurreret hanc censuram.”

Illud postremo observari potest — et hoc etiam pro caeteris Articulis notatum sit — censuram contra apostatas et haereticos, eorumque credentes, etc. latam, extendi non posse ad alia crimina similitudinem aut analogiam quamdam habentia, puta superstitio-

nem, suspicionem haeresis, et alia ejusmodi. Vide Suarez *de Cens.*
Disp. XXI sect. II n. 14.

ART. II.

„Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorumdem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendantes.”

Antehac praeter poenas contra indebitam librorum impressionem *speciatim* latae (de quibus infra Tit. IV § *Praeter hos* opportunior erit dicendi locus), cum respectu ad praesentem materiam duplex excommunicatio statuta erat. Prima Rom. Pontifici reservata habetur in Bulla *Coenae* § I, ubi post verba superius (Art. I) ex ea relata, sic dicitur: „Ac eorumdem (apostatarum et haereticorum) libros haeresim continentes vel de religione tractantes, sine auctoritate Nostra et Sedis Apostolicae scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendantes.” Altera, nemini tamen reservata, occurrit in Regula X Indicis, in qua (alinea penultima) sic ordinatur: „Quod si quis libros haereticorum, vel cuiusvis auctoris scripta, ob haeresim vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata aut prohibita legerit, vel habuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat.”

Civis primo obtutu clarum ac perspicuum erit, utrumque statutum mox relatum, a Pio IX in sua Const. partim esse limitatum, partim vero extensum seu ampliatum. Quod ut magis patet, Articulum supra positum per partes expendamus. Dicitur:

1º *Omnes et singulos scienter legentes.* Hisce verois praeter alia in subjecto censurae de jure requisita, tria denotantur aut supponuntur: a) Ex parte legentium adesse *scientiam*. Excusat igitur quaevis ignorantia, etiam crassa et supina, dummodo, ut communior habet sententia, non sit affectata, quae scientiae aequiparari solet. (efr Lig. L. VII n. 47. 48.) — b) Eosdem scire non solum legem ac poenam, sed et librum talem esse, qualem sub excommunicatione prohibet Pontifex. Ubi alterutrum deficit, non pecabitur *scienter* in ratione objecti, adeoque excommunicatio non

contrahetur. (Suarez de *Fide Disp.* XX sect. II n. 17.) — c) Ex tali libro tantum legi, quantum ad peccatum *mortale* satis est. Quantum vero in easu peculiari legendum sit, ut eapropter lethali perpeccetur, non una est Theologorum opinio. S. Alph. de Ligorio, cuius sententia nobis praferenda videtur, in sua *Theol.* L. VII n. 284 cum Holzman, Sporer et aliis docet: „in hoc attendendum esse finem prohibitionis.” Aliis verbis, respiciendum magis esse ad quantitatem *formalem* seu periculum quod legentes inde subeunt, quam ad quantitatem materialem. Hinc idem Doctor in hunc modum pergit: „si aperiendo librum (sub excomm. prohibitum) incidas in doctrinam, quae directe est contra fidem, poteris excommunicationem incurrere, etiamsi legas paucas lineas, quia in ipsis potest esse periculum perversionis; secus si liber est principaliter de materia indifferenti, tunc enim legendu etiam paginam, excusaris a mortali, si nullum ibi legas errorem.” Ita quoque Lue. Ferr. *Biblioth.* V. *Lib. proh.* n. 34.

Dicitur 2º *Sine auctoritate Sedis Apostolicae*. Itaque ut lectio librorum, hoc Articulo prohibitorum, a poena excommunicationis immunis sit, — seclusis causis a lege aut censura excusantibus — omni in easu, etiam pro illis qui eos legunt ad effectum impugnandi, vel aliunde moraliter certi sunt, nullum periculum inde sibi imminere, exigitur et praerequiritur auctoritas seu licentia Sedis Apostolicae, videlicet immediate aut mediate obtenta: solet quippe S. Sedes hujusmodi licentiam cum facultate subdelegandi locorum Ordinariis impertiri. Nec quidquam valet contraria consuetudo alieni forte vigens: vult enim S. Pontifex has suas Litteras, et omnia et singula quae in iis constituta sunt, effectum habere „non obstantibus consuetudinibus quibusvis, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque.” Vide in fine § *Non obstantibus*

Dicitur 3º *libros eorumdem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes*. Hisce verbis tres conditiones designantur. Prima est, ut ea quae leguntur sint *libri*. Quid libri nomine intelligatur, in jure definitum non est, nec eadem est DD. opinio. Verius tamen sentire videntur, qui cum Card. de Lugo (*de Virt. Fidei Disp.* XXI n. 38) statuunt: „hoc Judicium morale esse, et videndum juxta communem et vulgarem loquendi modum. . . . Quare consulendus

est hominum usus, ex quo vocabula suam vim habent, et juxta eundem usum videndum est, an aliquod haeretici scriptum sit, vel non sit dicendus liber.” Itaque quum ephemerides, diaria, et alia hujusmodi scripta, quousque manent folia per se completa, ex communi hominum aestimatione libri non censeantur, cum Avanzini in *Commentariis* praefatae Constitutionis p. 71, item Mariano à Novana in append. ad *Comp. Theol.* Thomae ex Charmes p. 647 dicendum putamus, illa qua talia sub excommunicatione non prohiberi. Non desunt sane Theologi, qui in suis commentariis Bullae *Coenae*, ubi idem terminus occurrit, dixere ac defendere, voce illa minora etiam opusculia aut scripta reapse comprehendi, hoc prae-
sertim motivo, quod saepenumero libris stricte dictis periculosiora sint, atque adeo hic applicari debeat juris principium: „Ubi eadem est ratio, eadem est legis dispositio.” Verum huic illorum doctrinae contradicunt alii non minoris auctoritatis viri (quos reperies in *Bibliotheca Luc.* Ferraris V. *Lib. proh.* n. 37), hac potissimum ratione, quod equidem stricto sensu non sint *libri*, de quibus tam
men solum loquitur Bulla *Coenae*, item Constitutio SS. D. N. Pii IX. Quocirca in hac rerum incertitudine nihil obesse videtur, quominus practice admittatur, eadem in ratione *poenae*, in qua de jure benignior interpretatio fieri debet, praefato Artº non contineri, quemadmodum ipsem S. Ligorio L. VII n. 67 de ejusmodi dubiis quoad censurae incursionem generatim resolvit. Dixi in ratione *poenae*: nam in ratione moralitatis certum est talia scripta non raro vel jure naturae graviter esse illicita. Dein etiam in dubio, an qua talia cadant sub regulas Indicis aut alias librorum prohibitiones ab Ecclesia latas, sub respectu *moralitatis* „expedit ordinarie rigidiores opiniones sequi” juxta saluberrimum monitum, quod cum S. Alphonso inculcat P. Gury *Theol.* T. II n. 985. Unde ipsum etiam Conc. Nostrum Prov., postquam de libris prohibitis nonnulla edidit, p. 113 aerius invicitur in pravas ephemerides, omnesque fideles pro Deo, et propter Deum obtestatur, ne eas „legant, aut, quod gravitatem peccato adderet, propria pecunia sustentent.”

Altera conditio est, ut libri sint *apostatarum* vel *haereticorum*, et quidem *eorumdem*, qui Art. I recensentur. Hic itaque pro insertis habeantur, quae ibidem sub 1º et 2º de iis dicta sunt. Duo tamen speciatim notata sint. Primo, sermonem hic esse de solis apostatis et haereticis; adeoque poenam hujus canonis protendi non

posse ad libros aliorum, puta credentium, receptorum, etc. de quibus ibidem sub 3^o et 4^o verba fecimus. (cfr Avanzini in *Comment.* p. 71). Secundo, necessarium non esse, ut auctor libri propter apostasiam aut haeresim ipsem excommunicationem *vere* incurrit; imo ne opus quidem esse, ut tanquam apostata vel haereticus *publice* notus sit: memorata conditio hoc unum exigit ac postulat, ut librorum auctor talis sit, qui ob haeresim vel apostasiam excommunicationis sententia *de se* subjaceat, et legenti quacumque ratione *constet*, ejusmodi esse auctorem libri. cfr Suarez de *Fide D. XX sect. II n. 11.*

Tertia conditio est, ut apostatarum vel haereticorum libri *haeresim propugnant*. Non sufficit igitur, ut eorum libri haeresim, forte etiam plures haereses, contineant, aut de religione tractent, quemadmodum in Bulla *Coenae* antea constitutum erat. Juxta recentem Constit. Pii IX requiritur et exigitur, ut ipsorum libri *haeresim*, seu doctrinam (saltem unam) fidei contrariam, *propugnant*, i. e. data opera sive ex proposito doceant ac defendant. Hoc autem supposito, parum aut nihil refert, quacumque sit materia libri. „Quel que soit l'objet du livre, du moment que l'auteur emploie son talent au soutien de l'hérésie, la lecture en est prohibée son peine d'excommunication spécialement réservée au Souverain Pontife. (*Nouv. Rev. Théol.* T. II p. 623).

Dicitur 4^o *nec non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos*. Regula 10^a Indicis sub poena excommunicationis, non tamen reservata, praeter haereticorum libros vetantur „cuiusvis auctoris scripta, ob haeresim vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata aut prohibita.” Regula haec sub respectu *poenali* (manet enim prohibitio in ratione moralitatis) a Pio IX in sua Const. nonnihil immutata fuit. Ibidem sermo est de scriptis; hic de libris: reddit igitur quaestio, de qua supra sub 3^o fuit actum. Discremen etiam est quoad naturam poenae: ibidem agitur de excommunicatione non reservata; hic de excommunicatione R. Pontifici speciali modo reservata. Disparitas quoque est in modo prohibitionis: ibidem intelligitur quaeviis prohibitio Sedis Apostolicae, etiam mediate per SS. Congregationes, aut generaliter per regulas Indicis facta; hic vero requiritur, ut libri ejusmodi prohibiti sint *per Apostolicas litteras*, i. e. immediate a S. Pontifice, sive in forma Brevis (uti

plerumque contingit), sive in forma Bullae, aut alia forma latas: et quidem *nominatim*, h. e. expresso librorum titulo. Praeterea quum in verbis supra relatis nulla fiat temporis distinctio, recens juris dispositio attingit non solum libros futuros sic prohibendos, sed etiam praeteritos jampridem praedicto modo prohibitos. Quaeri autem potest, utrum comprehendat *omnes* libros per Apostolicas litteras nominatim prohibitos; atque adeo omnes hi libri, etiam illi qui antea praefato modo sine ulla censura damnati erant, vi Articuli de quo agimus, evaserint prohibiti sub poena excommunicationis R. Pontifici specialiter reservatae? Cl. Avanzini in *Commentariis* p. 74 astruere nititur, eos tantum libros praeteritos hic intelligi qui pridem prohibiti fuerint sub poena excommunicationis R. Pontifici reservata. Verum inherentes interpretationis regulae, in prooemio hujus Constitutionis ab ipso Pontifice delineatae (vide ibidem sub 4^o), opinamur hujus Articuli dispositionem in sua generalitate complecti *omnes* libros per Apostolicas Litteras *nominatim* prohibitos, etiam eos qui antehac sub poena excommunicationis Pontifici reservata prohibiti non erant. Talis interpretatio cum scopo hujus Constitutionis (de quo in prooemio sub 2^o fuit sermo) minus forsan congruit; ast certe cum sensu ejus naturali et obvio magis convenit. „Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus,” est regula jurisprudentiae. Nec obest, quod sic fiat poenae ampliatione. Ejusmodi ampliationem in ratione *reservationis* admittit ipsem Cl. Avanzini l. c. Quidni idem admittere fas est quantum ad ipsum excommunicationis objectum? In pluribus Articulis hujusmodi extensionem quoad personas aut casus contentos inductam fuisse, infra patet, nec abnuit laudatus Auctor. Attamen cum ex regula 49 juris in 6^o „in poenis benignior est interpretatio facienda”, Iubenter concedimus priorem sententiam in praxi teneri posse donec quaestio ista authentico modo non sit resoluta.

Dicitur 5^o *eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodo libet defendantes*. A primo hic advertendum est, particulam „scienter” ab initio hujus Articuli ante verbum: „legentes” positam, ad eos quoque protendi de quibus hoc loco disseritur; secus deterior foret horum conditio. In Bulla *Coenae* pari modo ante vocem „legentes” occurrebat; eam tamen de omnibus, etiam retinentibus, ac defendantibus intelligendam esse, communis et certa doctrina est.

Vide Suarez de *Fide* Disp. XX sect. II n. 17; item Schmalzgr. L. V Tit. VII n. 38. Itaque quod supra sub 1º fuit dictum de scientia ex parte legentium necessaria, etiam retinentibus, imprimentibus et defendantibus applicandum est. — Quinam vero sic agere censeantur, sive ut retinentes, imprimentes aut defendantes habendi sint, ex Theologorum ac Canonistarum commentariis in Bullam *Coenae* erui potest, quum hac in re per praesentem Pii IX Constitutionem nihil immutatum sit. Respondemus igitur cum Lucio Ferraris *Biblioth. V. Libri prohibiti* n. 44. 58. 64: „Per ly *retinentes* intelligitur omnis, qui habet apud se librum, sive proprium, sive alienum, quomodo cumque illum habeat, sive retineat illum nomine proprio sive alieno. Imo etiamsi in aliena domo retineat, quia semper dicitur vere *retinens*.“ Unam tamen limitationem admittit S. Ligorio L. VII n. 298, si np. quis daret, vel etiam deponeret talem librum apud personam habentem licentiam sub conditione aut pacto expresso non repetendi priusquam ipsem licentiam legendi libros prohibitos obtinuerit. — „Per ly *imprimentes* intelliguntur et veniunt omnes, qui ad libri impressionem propinque concurrunt et verae illius causae sunt, ut typographus, aut patronus officinae cuius auctoritate libri typis mandantur, qui humectat aut praeparat chartam, imponit atramentum, typos ordinat et componit, chartam madefactam supponit torculari, torcular premit.“ — Tandem „per ly *defendantes* intelliguntur et veniunt omnes, qui quocumque praetextu vel causa librum (hoc Art. scil. prohibitum) qua talem defundunt et tuentur, verbis vel factis, laudando v. g. et exaltando talem librum, probando ea quae in eo scripta sunt esse vera, abscondendo illum, aut impediendo ne inquisitoribus tradatur, aut ne comburatur et hujusmodi.“

ART. III.

„Schismaticos et eos qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt.“

Hic Articulus de verbo ad verbum pene desumptus est ex Bulla *Coenae*. Ibidem § I in fine sic habetur: „Nec non schismaticos, et eos, qui se a Nostra, et Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt.“

Haeresis de qua actum fuit in I Art., et schisma de quo hic sermo est, in eo discrepant, „quod haeretici, uti ait S. Augustinus lib. *de Fide et Symb.* cap. X n. 21, de Deo falsa sentiendo, ipsam fidem violent; schismatici autem dissencionibus inquis a fraterna charitate dissiliunt; quamvis ea credant, quae credimus.” Itaque, etsi vix ullum schisma sine aliqua haeresi sit, tum quia schismatici facile sibi persuadent extra Ecclesiae unitatem salutem dari (quod aperta haeresis est), tum quia passim aliquam sibi confingunt haesim, ut rite ab Ecclesia recessisse videantur; stricto tamen sensu dari possunt schismatici, qui veri haeretici non sunt. Et hoc quidem sensu ac ratione de illis in praesenti Articulo speciatim disseritur.

Putant nonnulli Bullae *Coenae* explanatores, duabus partibus seu membris, quibus constat memorata dispositio (et idem est de Articulo supra relato), unum et idem denotari, adeo ut posteriora verba consideranda sint velut mera explicatio aut applicatio termini „schismaticos”; verum melius sentire videntur qui, vel cum Suarez (*de Cens. Disp.* XXI sect. II n. 12) opinantur, schismaticorum nomine intelligi, qui praeter verum et indubitatum Pontificem alium eligunt eique obediunt; posterioribus autem verbis comprehendi eos, qui sine electione alterius Pontificis ab obedientia veri Pontificis pertinaciter se subtrahunt aut recedunt, vel cum Card. de Lugo (*de virt. Fid. div. Disp.* XXV n. 37) arbitrantur (et hoc quidem cum superiori Art. magis congruere videtur), vocem „schismaticos” complecti eos, qui rebelles sunt ab auctoritate S. Sedis *universim* sumpta: postremis autem verbis indicari „subdolos aliquos, qui malitiam velare conantur dicentes, se non negare obedientiam Sedi Apostolicae, sed *hunc* personae ob peculiares rationes; postea tamen ejus successori obedientiam praestituros.” Ut cumque res ista se habeat, illud quidem in comperto est, ad incurram censuram hoc Articulo fulminatam haud requiri, ut quis auctoritati schismatica adhaereat, vel eam constituere conetur: sat est, a R. Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahere vel recedere.

Certum denique exploratumque est, in praedicto Articulo non agi de schismate particulari *tantum*, quo np. quis a suo Episcopo inique se separat, aut particulares ecclesiae inter se dissociantur; sed de schismate *universalis* seu proprie dicto, quo scil. aliqua ec-

eclesia, Episcopus, aut simplex etiam fidelis subjectionem et obedientiam Romano Pontifici, totius Ecclesiae capiti, pertinaciter denegat. cfr. Soglia *Inst. jur. can.* p. III § 169. Porro ut talis tanquam schismaticus, aut recedens a R. Pontificis obedientia, predictae excommunicationi vere subjaceat, teste Schmalzgrueber L. V Tit. VIII n. 10 quinque conditiones concurrere debent. 1^a est, „ut recedat ab obedientia Summi Pontificis et communione fidelium qua talium.” Itaque, prout jam dictum est, relate ad praefatam poenam non sufficit particulare schisma, dummodo unio cum R. Pontifice et corpore Ecclesiae conservetur; — 2^a est, „ut hic recessus junctus sit cum pertinacia, quia verum schisma est rebellio in S. Pontificem vel Ecclesiam.” Non satis igitur est transgressio, vel etiam contemptus legis Pontificiae, quia haec v. g. injusta aut difficilior censetur, vel quia persona Pontificis suspecta aut odiosa videtur, etc. Sieut enim in Principem civilem rebellis non reputatur qui tali aut simili motivo legem ejus violat; sed qui jugum ejus excutit, et non vult ei subesse: ita quoque verum schisma supponit, subjectionem S. Pontifici qua tali debitam abnegari aut recusari; — 3^a est, „ut idem recessus fiat quoad illa, quae pertinent ad unitatem Ecclesiae; nam verum schisma est separatio ab unitate Ecclesiae inter se, et cum suo capite.” Quocirea homines illi, qui agnoscentes ac venerantes potestatem spiritualem S. Pontificis, dominium ejus temporale in certas provincias abnuunt vel impugnant, veri schismatiei non sunt, nec qua tales praesentis canonis sanctione feriuntur. Dico *praesentis canonis*: aliud quippe est de excommunicatione infra Art. XII proposita; — 4^a est, „ut sic recedens agnoscat, eum, cui obediare detrectat, esse caput Ecclesiae, et verum Christi Vicarium.” Non erit ideo verus schismaticus, qui in easu *dubii* Pontificis, uti contigit tempore Urbani VI, obedientiam denegat, modo paratus sit parere illi, quem Ecclesia ut verum Pontificem agnoverit; — 5^a est, „ut exerceat actum formalis inobedientiae, h. e. ut obediare Pontifici nolit, licet agnoscat eidem ex doctrina fidei esse obediendum.” Hujus defectu a poena hac excusari poterunt, qui ex ignorantia, etiam striete vincibili, obediare renuunt.

At vero ab altera parte opus non est ad verum schisma constituantur, ut obedientia aut subjectio Summo Pontifici qua tali debita, expresse et directe seu ex animi intentione, rejiciatur. Re-

quiritur et sufficit, modo praefata ratione externe abnegetur, etiam implicite aut indirecte tantum. Verissime seribit Card. de Lugo *de virt. Fid. div.* Disp. XXV n. 36, „Schismaticum esse eum, qui effectu et opera separat se a Pontifice, licet id directe non intendat: sicut potest esse rebellis in Principem sine illa voluntate directa, prout etiam potest esse homicida, detractor, et alia similia peccata committere, cum sola voluntate indirecta. Unde, licet ad haeresim requiratur dissensus interius, schisma tamen potest esse sine expressa voluntate interna negandi subjectionem Pontifici: sufficient enim opera ipsa, quibus ita te geris, ac si eam negares.”

Haec cum ita sint, quaeri potest, quid nominatim judicandum sit de Catholicis illis, vulgo *Liberalibus* dictis, qui legibus et mandatis S. Pontificis repulsa data, publice se gerunt tanquam solutos ab ejus obedientia? Putat cl. Avanzini in suis *Commentariis* p. 75, ejusmodi personas sub hoc Articulo „comprehendi, quia sunt vero sensu rebelles ab obedientia existentis Romani Pontificis.” Verum, me judice, quaestionis cardo in eo plane vertitur, utrum talis agenda ratio constituat veram rebellionem? Necesse utique non est, ut jugum R. Pontificis expresse et directe executiatur; ab altera tamen parte requiritur vera subtractio aut recessio, qua np. non solum leges et mandata S. Pontificis vilipenduntur, ac contemnuntur; sed ipsa obedientia et subiectio Pontifici debita vere ac realiter abnegatur aut recusatur. Putamus ideo, hujusmodi Catholicos liberales, utut culpabiles, a poena hujus canonis excusari posse, dummodo effectu et opera sese non separant a R. Pontifice. Crimen, quod hoc Articulo perstringitur, non consistit in simplici inobedientia aut repulsa legum ac mandatorum S. Pontificis; sed in negatione obedientiae et subjectionis ipsi, qua capiti Ecclesiae, deferendae.

De cetero animadvertisendum hic est, (aliud enim Art. I statuit de apostatarum et haereticorum coadjutoribus) schismaticorum receptores, fautores ac defensores in hoc Art. non exprimi, atque adeo excommunicationis poena non affici. „Quoties, ita cum Cajetano recte notat Suarez *de Cens.* Disp. XXI sect. II n. 14, censura fertur contra aliquos hoc vel illud facientes, si in ipsa lege expresse non extenditur ad consulentes, adjuvantes, et similes, illos non comprehendit, quia verba poenalia stricte intelligenda sunt.” Cfr etiam Dens *de Cens.* n. 5.

ART. IV.

„Omnes et singulos, cujuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.”

In Bulla *Coenae* § 2 idem omnino statuitur quoad *singulares* personas ejusmodi iniqua appellatione contaminatas: poena vero *interdicti*, quae ibidem propter idem delictum fertur contra „Universitates, collegia, et capitula quocumque nomine nuncupentur,” in praesenti Const. speciatim pertractatur Tit. VI Art. I.

Appellatio a R. Pontifice ad universale futurum Concilium, qua de re hic, et infra l. c. agitur, speciem schismatis prae se fert, aut certe discordiam ac rebellionem in Ecclesia Dei fovere nata est. Tali agendi ratione, uti jam suo tempore aiebat Pius II in Const. V § 1, „nutritur adversus primam Sedem rebellio, libertas delinquendi conceditur, et omnis ecclesiastica disciplina, et hierarchicus ordo confunditur.” Unde et Concilium Vaticanum sess. IV cap. 3 dogmatice definivit „a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere ab iudiciis Romanorum Pontificum ad oecumenicum Concilium tanquam ad auctoritatem Romano Pontifici superiorem appellare.”

Ut palam fiat, quinam ad normam Articuli supra positi excommunicationis sententia innodentur, tenorem illius membratim tractabimus. Dicitur

1. *Omnes et singulos, cujuscumque status, gradus seu conditionis fuerint.* Verba haec generalia sunt: nulla ergo singularis aut particularis persona excipitur, dummodo aliunde in ratione subjecti aut causae etc. nihil defuerit. Contra, quia sermo est de *singulis*, seu singularibus personis, eo ipso a poena hac eximuntur communitates cujuscumque generis: has qua tales excommunicare Ecclesia non solet; in quo hoc et jure vetitum est. Cap. *Romana* 5 de sent. *excomm.* in 6. Cfr etiam Dens de *Cens.* in genere n. 4.

2. *Ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium.* Verbis istis intelliguntur non solum leges ac

praecepta Pontificia, sed etiam sententiae, censurae aut aliae poenae a R. Pontifice latae. „Haec omnia, inquit Castro Palao *de Cens. Disp.* III punct. III n. 3, nomine ordinationis vel mandati comprehenduntur: imo, teste Suarez *de Cens. Disp.* XXI sect. II n. 15, „nec videtur distinguendum de appellatione a mandato justo vel injusto, quia Constitutio haec indistincte et absolute loquitur; et non fundatur in eo, quod res, a qua appellatur, justa vel injusta sit, seu talis ut ab ea juste appellari possit, si esset superior ad quem posset appellari; sed in eo, quod sic appellans injuriam facit Sedi Apostolicae.” Praeterea ne opus quidem est, ut ejusmodi appellatio fiat a Sede Apostolica universim sumpta; satis est appellare ab ordinatione seu mandato R. Pontificis pro tempore existentis.

Quaerunt auctores, utrum praefata excommunicatio incurrit etiam propter appellationem ab ordinatione seu mandato, quod R. Pontifex qua princeps temporalis dedit? Affirmant nonnulli hoc motivo, quod verba generalia sint: ast cum textu et fine ipsius Constitutionis magis congruere videtur illorum opinio, qui eam restringunt ad solam appellationem ab iis, quae R. Pontifex *qua talis*, sive ut Caput Ecclesiae, constituit aut decrevit. Cfr. *Nouv. Rev. Théol.* T. III p. 158.

3º ad universale futurum Concilium appellantes. Itaque etsi eadem aut fortior etiam ratio urgeat pro appellatione ad praesens Concilium generale, vel ad futurum Concilium particulare, ex communi tamen sententia ob tale factum praedicta excommunicatio non contraheretur; ratio est — ut cum Glossa in reg. 49 juris in 6 loquamur — „quod de poenis non arguimus ad similia, quia poenae non excedunt proprium casum.” Vide insuper Suarez *de Legib. L. VI cap. III n. 5.* „Certum existimo (ita l. c. scribit), non posse legem poenalem quoad poenam extendi propter solam similitudinem rationis, quantacumque ista sit.”

4º nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit. Tria haec in eo differunt, quod *auxilium* vocetur quilibet actus, quo quis ad praefatam appellationem concurrit, opem seu adjumentum materiale praestando, puta appellationis libellum confiendo, vel ad Concilium deferendo, etc.; — *consilium* dicatur ac-

tus, quo quis suadendo, modum docendo, utilitatem ostendendo, aut simili modo in crimine cooperatur; — *favor* autem sit quodlibet commodum appellanti praestitum, ut suum delictum tutius aut faciliter exequatur. Porro ut ex capite illo cooperantes censura afficiantur, duo requiruntur aut supponuntur. Primum est, ut auxilium, consilium vel favor appellationem antecedant, et in eam tanquam causa moralis vere influant. Quodsi postea praestentur, poterunt appellantes inde in suo crimine forsan confirmari; dici tamen nequit, prout in textu legitur, quod ipsorum „auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.” Nec satis est, uti ait Suarez de *Cens.* Disp. XXI sect. II n. 16, quod is, qui appellat, id faciat spe et fiducia auxilii alterius, si illa non ex vi promissionis aut verborum alterius concepta sit, sed solum ex titulo amicitiae vel alterius conjunctionis: in tali aut simili casu deest verus influxus. Imo, teste Ligorio L. VII n. 39., *probabiliter* etiam non sufficit dubius tantum influxus, „quia poena non incurritur, nisi constet de crimine, et de ejus effectu secuto.” Alterum est, ut ipsa appellatio reapse subsecuta, seu executioni data sit. Dicitur in textu „*quorum auxilio etc. appellatum fuerit.*” Itaque donec revera appellatum non sit, cooperatio censeri nequit in sua specie consummata, dein — et haec alia ratio est — censura, de qua agitur, teste Suarez l. c., directe et principaliter respicit operantes seu appellantes: indirecte vero ac secundarie tantum coöperantes; atque adeo ob solam cooperationem ex communi sententia non incurritur, nisi effectus vere subsequatur. Cfr Dens de *Cens.* n. 5. Pari de causa — quia np. poena ista principaliter lata est in ipsos appellantes etc. — dicendum est, eam a cooperantibus haud contrahi, si forte appellatio fiat, dum cooperatio efficaciter, affectu scilicet et effectu, revocata est. Quinimo idem probabiliter statui potest, etsi pro viribus, seu affectu tantum, revocata esset, quia tali in casu ex parte cooperantis saltem deficit *contumacia*, de jure requisita ad censuram incurrerat. Vide Ligorio L. VII n. 40 et alios ibidem citatos.

ART. V.

„Omnes interficienes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apos-

tolicae Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis Dioecesibus, Territorii, Terris, seu Dominiis ejientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

Hic Articulus identicus est cum § 11 Bullae *Coenae*, cum hoc tamen discrimine, quod ibidem etiam „vulnerantes” recenseantur, de quibus in praesenti Const. tacetur, utpote qui in verbo „percutientes” satis continentur.

Quemadmodum *privilegium canonis*, sic dictum a celeberrimo canone 15 Conc. Lat. II (qua de re infra Tit. II Art. II uberioris dicetur), statutum fuit „ad clericorum officium dignitatemque honorandam,” prout loquitur Soglia *Inst. jur. can.* p. III § 71; ita finis praesentis Articuli est, speciali modo tueri officium ac dignitatem personarum in eo enumeratarum. Quapropter si violenta manuum injectio in clericum aut monachum in memorato canone vocetur „sacrilegii reatus;” majori certe ratione tali peccato sese commaculant, qui Ecclesiam in praecipuis ejus membris, puta Cardinalibus, Patriarchis etc., injuriose laedunt.

In 1^a parte hujus Articuli a verbo „omnes — Nuncios,” distinguuntur septem actiones principales, et sex personarum classes in quas committi debent, ut propterea excommunicatio R Pontifici speciali modo reservata incurritur. Quid actionibus istis, quarum singula sufficit ad contrahendam ejusmodi poenam (ponuntur enim in sensu disjunctivo), intelligatur, per se clarum et apertum satis est. Adertas tamen, ut propterea excommunicatio vere contrahatur, eas in sua specie debere esse consummatae ac mortaliter malas. Consequenter si forte quis tales actiones mere intendat, aut irrito conamine attentet, aut aliter vero sensu non compleat v. g. Cardinalem (idem est de caeteris personis recensitis) convitiis ac maledictionibus insectando, non tamen hostium instar actualiter insequendo, aut aliam ex indicatis actionibus in ipsum revera exercendo in his et similibus hypothesibus ejusdem actio, utut injuriosa ac malevola, non erit in sua specie consummata, adeoque nec poena contracta. Similiter si quis Cardinalem, Patriarcham, etc. graviter percutiat, ignorans ipsum tali dignitate esse praeditum, ejusmodi actus, etsi in se graviter malus, poenam memoriam non inducet, quia secundum speciem vel circumstantiam culpae

non est mortaliter malus. Cfr Suarez *de Cens.* Disp. XXI sect. II n. 70. — Denique voces etiam illae, quae significant personas, seu dignitates earum, in quarum favorem censura haec lata est, satis sunt notae. Advertit tamen Suarez l. c. cum Cajetano et Navarro, „Episcopum hujusmodi decretis intelligendum esse qui consecratus est, non electum, etiam confirmatum, et possessionem adeptum; quia hic non est simpliciter Episcopus, sed secundum quid; et quia ex parte, qua haec Constitutio poenalis est, restringi debet.”

In 2^a parte a verbo „aut eos etc.”, designatur alia actio principalis hisce verbis concepta: *aut eos a suis Dioecesisibus, Territoriiis, Terris, seu Dominiis ejicientes*. Ex hoc capite censuram certo incurunt omnes et singuli, qui principaliter tanquam operantes (de cooperantibus in 3^a parte erit sermo) praedictos Praelatos a *suis* Dioecesisibus aut Territoriiis etc., in quibus np. ipsi (Praelati) jurisdictionem seu officium gerunt (particula *suis* relationem habet ad verbum *eos*), ejiciunt sive exire cogunt, vi scilicet physica vel etiam morali tantum. „Rogabis (ita Bonacina *de Cens. in part.* Disp. I q. XII p. I n. 19), utrum ejectio hic sub excommunicatione prohibita, fieri debeat facto; an sufficiat verbis, seu praecepto, seu minis? Respondeo, sufficere verbis; quia solis verbis comminatoriis potest quis e loco expelli.” Consequenter non solum lictores aut sententiae executores; sed etiam principes ac judices, qui sententiam expulsionis ferunt, *ejicientium* denominatione ex communi doctrina comprehenduntur. Adverte tamen — quemadmodum sub 1 de aliis actionibus notatum fuit — talem ejectionem in sua specie debere esse consummatam, atque adeo haud sufficere, cam mere comminari aut pro futuro solum intentare; nec satis esse, praefatas personas de facto ejicere a territorio *non suo*, aut *a parte* sui territorii tantum. Vide Suarez l. c. n. 71.

Duo sunt, de quibus hic speciatim difficultas moveri potest: 1. An verbis *a suis Dioecesisibus* etc. intelligentur quoque loca, in quibus Praelati hoc Articulo recensiti sunt nati aut domicilium forte habent? Affirmat Suarez l. c. cum aliis hoc motivo, quod illa loca „etiam proprie dicantur terrae suac.” Alii vero, attento fine hujus Constitutionis, qui est, speciali modo tueri officium et dignitatem eorum Praelatorum, illud haud immerito negandum esse putant. Cfr Navarrus *Manuale Conf.* cap. 27 n. 67. — Itaque, cum ex reg. 49 juris in 6. „in poenis benignior est interpretatio facien-

da”, practice admitti poterit, tali in casu, sive ob ejusmodi ejectionem, excommunicationem non contrahi. Quaeritur 2º utrum sub verbo *ejicientes* comprehendantur etiam illi, qui praedictas personas in Dioecesim aut Territorium ipsis a R. Pontifice assignatum admittere seu recipere nolunt? Pro responso affirmativo militat sane eadem aut similis legis ratio; verumtamen quia a parte rei aliud est, aliquem ejicere e loco, ubi receptus est; aliud, ipsum non recipere seu admittere in locum; ideo ob rationem supra Art. IV sub 3 allegatam cum Bonacina l. c. n. 7 potius tenendum videatur, eos praefata juris dispositione non attingi. Dico *praefata juris dispositione*: saepe enim numero non evitabunt excommunicationem seq. Art. hujus Tituli impositam; in quantum sci!. tali agendi norma exercitium jurisdictionis ecclesiasticae non raro indirecē impedunt. Cum respectu ad hanc quaestionem antehac capite *Super. de consuetudine Extr. Comm.* sic ordinatum erat: „qui . . . dictos legatos aut etiam nuncios, quos ad quascumque partes pro causis quibuslibet Sedes ipsa (apostolica) transmiserit, praesumpserint impeditre, ipso facto sententiam excommunicationis incurvant. Regna, terrae et loca quaelibet subjecta eisdem, tandem sint eo ipso ecclesiastico supposita interdicto, quandiu in hujusmodi contumacia duixerint persistendum.” Hoc autem Decretum in Const. Pii IX non fuit innovatum, adeoque quantum ad poenas uti abolitum haberi potest ac debet. Cfr dicta in prooemio sub 3^{io}.

In 3^{ia} parte a verbo „nec non — favorem”, indicantur tres personarum classes, ob cooperationem in praefatis actionibus eidem poenae subjacentes :

a) *Mandantes*, qui np. explicite vel implicite alium jubent aut rogant, ut in sui gratiam ex recensitis actionibus unam aut aliam ponat. Nec refert, sive mandans in mandatarium auctoritate polleat, sive non. Ut quis mandans reputetur, haud requiritur, ut sit mandatarii superior; satis est, modo ipsum precibus, minis, pretiis promissione, vel etiam gratis, moverit ad similia sui nomine facienda. Cfr Bonacina l. c. n. 21, item Dens *de jure et just.* n. 72.

b) *Rata habentes*. Ratum habere non est utcumque consentire, approbare, aut laudare unam ex praedictis actionibus, sed eam sui nomine factam comprobare. Quocirca teste Bonacina l. c. n. 22 tres conditiones hic supponuntur. Prima est, ut actio, quae comprobatur, approbantis nomine facta sit. Secunda, ut ea qua talis com-

probetur signo quodam externo, puta verbis, nutibus, aut alio aequivalente modo: censura enim non incurritur ob actum mere internum. Tertia est, ut qui talem actionem comprobat, tempore quo patrata fuit, habilis esset ad eam ponendam vel mandandam: ratihabitio fictione juris retrotrahitur, et virtuale mandatum censemtur; non potest autem rationem virtualis mandati habere, nisi ratihabens tempore, quo posita est actio principalis, ad eam faciendum aut mandandum ipsemet habilis esset. Hinc tamen non inferas (uti cum aliis notat Castro Palao *de Cens.* Disp. III p. 23 § 2 n. 14), si delictum commissum sit tempore somni aut ebrietatis, non posse illud ipsum ratum haberi: potest utique, quia somnus et ebrietas non tollunt usum rationis permanenter; ideoque moraliter censendus es eo tempore potuisse delictum facere vel imperare.

c) *Praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.* Quid hisce cooperandi modis significetur, superius Art. IV sub 4 declaratum est. Itidem quae ibi tradita sunt de necessitate veri ac certi influxus in ipsum crimen principale; de effectu subsecuto; nec non de causae retractione ante delicti consummationem; etiam hoc in easu applicanda sunt. Etenim licet in praesenti Art. non dicatur: quorum auxilio, consilio vel favore imperfectio, mutilatio, etc. facta fuerint; illud tamen in comperto est, poenam hujus Articuli par modo directe ac principaliter latam esse in ipsos operantes; adeoque a cooperantibus non contrahi, si quid eorum deficit vel contigit. Cfr de *Cens. in gen.* n. 5.

ART. VI.

„Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare, ejusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes.”

Hoc Articulo, nonnullis tamen immutatis, substantia tenus instauratur quod in Bulla *Coenae* § 16 amplioribus verbis edictum erat. Ad normam istius Edicti in praesenti quoque Art. tria personarum genera discerni possunt.

1^{um} Complectitur *impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori.* „Impedire, in-

quit Roncaglia *Univ. Theol. mor. Tract. IV q. III cap. IV*, est proprie facere, quod aliquis invitus et contra voluntatem cesseret ab opere, quod intendit.” Itaque ut quis vero sensu *impediens* reputetur, et qua talis ob memoratum delictum poena hujus canonis innodetur, opus non est, ut exercitium jurisdictionis ecclesiasticae physice prohibeat seu prorsus impossibile reddat; ab altera parte non sufficit quodlibet tentamen, quominus exercitium istud pro beneplacito geratur: conatus seu molitus impediendi, utut iniqua ac reprobanda, non est vera et realis impeditio, adeoque tali in casu non adest, quod in lege sub poena excommunicationis cohibetur. Ut vera habeatur impeditio, directe vel indirekte talia fiant satis est, at etiam requiritur, quibus seu quorum causa Episcopus, aut alius judex ecclesiasticus, invitus et contra voluntatem cesseret ab exercitio seu actu jurisdictionis, quem intendit; aliis verbis, quibus seu quorum causa ipsorum libertas in exercitio jurisdictionis ecclesiasticae tollitur aut restringitur.

Ex regula sic delineata sequitur primo, ex capite isto (positis caeteris de jure requisitis) excommunicatione R. Pontifici speciali modo reservata irretiri: a) Magistratus civiles, qui injustis legibus aut decretis prohibent, ne Episcopus pro sua voluntate ac munere Dioecesim suam adeat aut visitet; parochos aliosve sacros ministros in ea nominet vel instituat; clericum aut laicum graviter delinquentem poenis ecclesiasticis subjiciat; etc. b) Impios illos, qui sacerdotem arcent aut aliter injuste retinent, ne pro sua voluntate et officio moribundo assistat, aut ipsi Ecclesiae sacramenta administret. c) Omnes denique ac singulos, qui injuste quovis modo obstacula ponunt, quibus Episcopus aut alius judex ecclesiasticus directe vel indirekte impeditur seu cohibetur, ne pro sua voluntate faciat ea quae ad ejusdem jurisdictionem spiritualem spectant; vel ne facta execuptioni mandet; vel ne executioni data pro suo beneplacito revocet. Cfr Bonacina *de Cens. in part. D. I q. XVII n. 2.* — Sequitur secundo, praefata poena non attingi: a) qui precibus, suasionibus, aut simili modo causa sunt, ne judex ecclesiasticus sua jurisdictione spirituali utatur: quia hic non adest vera ac propria impeditio, sed judex ab actu jurisdictionis libere cessare supponitur. b) Qui exercitium jurisdictionis ecclesiasticae *juste* impediunt: quamvis enim verba Constitutionis generalia sint, nec distinguant inter juste et injuste impedientes; nihilominus qui juste impe-

diunt, non censentur peccare, atque adeo sub poenam non eadunt.

c) Qui exercitium jurisdictionis *profanae*, qua forte guadet superior ecclesiasticus, mere impediunt. Cfr Bonac. l. c. n. 3. 4. 9.

Putant nonnulli Bullae *Coenae* explanatores, hie tantum agi de impeditione *ordinariae jurisdictionis ecclesiasticae*. Pro opinione ista ex dicta Bulla quaedam urgeri possunt. Verum in praesenti Const. nihil horum invenitur; contra generatim dicitur: *jurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori*. Intelligitur ergo quaelibet jurisdictionis ecclesiastica, tam delegata quam ordinaria, tam voluntaria quam contentiosa, etc.

Quaeri hic potest: Utrum *impedientium* denominatione intelligantur etiam illi, qui vi, metu, aliove injusto modo judicem ecclesiasticum compellunt ad *ponendum* contra voluntatem suam actum jurisdictionis ecclesiasticae, puta ad dandam absolutionem sacramentalis, ad ferendam censuram vel ad eam jam latam auferendam, etc.? Putant nonnulli, in hacrentes legis motivo, quod est, protegere liberum jurisdictionis exercitium, eos termino illo vere comprehendti: ast ob rationem supra datam Art. IV sub 3, hoc ipsum cum Bonacina l. c. n. 5 haud improbabiliter negari potest. Profecto, jurisdictionis exercitium impediire, et illud provocare seu extorquere, sunt res prorsus diversae: non potest igitur in re penali, in qua versamur, de uno casu ad alium extensio fieri. Negari sane nequit, quin istiusmodi actio sit graviter illicita ac vetita. Quinimo „qui absolutionem seu revocationem (censurarum) vi aut metu extenserint”, libro 6 Deeretalium cap. unico *de iis quae vi metusve causa fiunt*, excommunicationis sententiae subjacere decernuntur; verum poena ista in Const. *Apostolicae Sedis* non fuit innovata, adeoque jam exspirasse censemur.

2^{um} genus constituunt et ad hoc recurrentes ad forum saeculare, ejusque mandata procurantes. Hisce verbis — particula et sensum disjunctivum habet, ut constat ex Bulla *Coenae*, ubi illius loco dicitur, ac etiam eos etc.— designantur illi, qui exercitium jurisdictionis ecclesiasticae stricte non impediunt, uti caeteri de quibus in prima parte fuit sermo; sed ad hoc, ut np. impediatur, recurrent ad forum saeculare, ejusque mandata, quibus scil. impediatur, procurant seu provocant. „Quaestio erat, uti notat Avanzini

in *Comment.* p. 78 seq., inter interpres Bullae *Coenae*, utrum ad incurriendam ejusmodi censuram satis esset recurrere ad curiam saecularem, ejusque mandata procurare, etiamsi a judice laico nihil obtineretur; vel opus esset, ut mandatum seu prohibitio contra judices ecclesiasticos obtineretur, et etiam executioni mandaretur. Prima sententia recepta fuerat a Sacris Congregationibus, quarum praxis haec est, ut quoties in causis judicandis noseant, aliquem contra auctoritatem Ordinarii recurrisse ad laica tribunalia, indicere soleant ejusmodi recurrenti: *consulat conscientiae suae ob recursum ad laicum tribunal.* Ceterum hodie haec quaestio moveri amplius non potest, quum in Articlelo Constitutionis non alia verba reperiantur, quam *recurrentes ad forum saeculare, ejusque mandata procurantes.*”

Quaeri insuper potest, utrum ad contrahendam hujusmodi censuram satis sit recurrere ad quamecumque potestatem saecularem, etiam legislativam aut executivam; vel necesse sit, ut ad tribunalia seu potestatem judiciariam recursus fiat? Interpres Bullae *Coenae* sentiunt communiter, solum contrahi ob recursum ad tribunalia saecularia. Nec mirum; ibidem dicitur: *ad cancellarias et alias curias saeculares*, quibus verbis in sensu naturali ac consueto intelliguntur sola tribunalia saccularia; hic vero in Const. Pii IX legitur: *ad forum saeculare*, qui terminus latioris extensionis est, et saepe numero quamlibet potestatem designat. Cfr Luc. Ferraris V. *Forum* n. 58. Praeterea in Bulla *Coenae* supponitur talis recursus fieri animo eludendi „fori ecclesiastici *judicium*”; in praesenti vero Constitutione poena plectuntur, qui „ad hoc” sive ad impedendum *exercitium jurisdictionis ecclesiasticae* ad forum saeculare configuiunt. Consequenter quum ex regula de verborum significatione „verba sequentia significationem accipient a praecedentibus ejusdem dispositionis”, cum ephemeribus *Nouv. Rev. Théol.* T. III p. 241 seq. omnino dicendum videtur, per „forum saeculare” in recenti Constitutione non solum tribunal, sed quamlibet potestatem saccularem intelligi; atque ob ejusmodi recursum ad potestatem etiam legislativam aut executivam, memoratam excommunicationem vere contrahi.

Sum personarum genus efficiunt: *edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes.* Verbo *edentes* in Bulla *Coenae* correspondent sequentia: „eos quoque qui haec decernunt.” Ex quibus clare

apparet, hic agi de alia hominum classe, a priore distincta; eoque nomine intelligi superiores aut judices saeculares, qui decernunt seu edunt mandata, quibus exercitium jurisdictionis ecclesiasticae impediatur. Verbis immediate subsequentibus denotantur omnes et singuli, qui ad actiones principales hoc Art. prohibitas, puta im-peditionem, — recursum ad forum saeculare ejusque mandatorum pro-curationem, — vel ad horum editionem, — secundarie concur-runt, auxilium, consilium vel favorem praestando. Ne actum agere videamur, hic insertum volumus, quod de iis cooperandi modis, nec non de requisitis ut ex capite illo censura incurratur, supra fuit dictum Art. IV sub 4^o et Art. V in fine litt. c).

ART. VII.

„Cogentes sive directe, sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones; item edentes leges vel Decreta contra libertatem aut jura Ecclesiae.”

In Bulla *Coenae* § 15 cum respectu ad hanc materiam sic sta-tutum erat: „Quive ex eorum praetenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque, personas ecclesiasticas, capi-tula, conventus, collegia ecclesiarum quarumcumque, eoram se ad suum tribunal, audientiam, cancellariam, consilium, vel parlamen-tum, praeter juris canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directe, vel indirecte, quovis quaesito colore; nec nor qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmáticas, seu quaevis alia decreta in genere, vel in specie, ex quavis causa, et quovis quaesito colore, ac etiam cuiusvis consuetudinis, aut pri-vilegii, vel aliás quomodolibet fecerint, ordinaverint, et publicave-rint, vel factis, et ordinatis usi fuerint, unde libertas ecclesiastica tollitur, seu in aliquo laeditur, vel deprimitur, aut aliás quovis modo restringitur, seu Nostris, et dictae Sedis, ac quarumcumque ecclesiarum juribus quomodolibet directe, vel indirecte, tacite, vel expresse praejudicatur.”

Facta hujus canonis cum Article supra posito comparatione, cuivis primo obtutu apparebit, pristinam juris dispositionem — ha-bitacerte ratione conditionis modernae societatis — sub respectu

poenali multum jam esse coërcitam. Sane, quod ad primum delictum, sive violationem *privilegii fori* (qua de re confer Soglia p. III § 71) attinet, impreäsentiarum excommunicatione non puniuntur, qui „ex praetenso officio etc.” personas ecclesiasticas ad tribunal saeculare trahunt vel trahi faciunt; sed qui sponte sua, omnino liberi judices laicos ad talem actum cogunt seu adigunt. „Attendere debes, inquit S. C. Off. in responso 15 Junii 1870, verbum *cogentes*, quod sane indicat, excommunicationem eos non attingere, qui subordinati sint, etiamsi judices fuerint; sed in eos tantum esse latam, qui a nemine coacti vel talia agunt vel alias ad agendum cogunt, quos etiam indulgentiam nullam mereri facile perspicies.” Vide App. VI ad *Acta S. Sedis* p. 262.— Ut autem ejusmodi „cogentes” ex capite illo censura vere innodentur, ad tramites praesentis Constitutionis duo insuper supponuntur: 1. Ut directe vel indirecte talia faciant, quibus judex laicus compellatur *ad trahendum ad suum tribunal*. Hujus rei defectu a poena excommunicationis (non tamen culpa) liberi forent, si forte reus consentiret in causae suae delationem ad forum saeculare; vel ipsemet judex, causa ad ipsum jam delata, compelleretur tantum ad ferendam sententiam. Verbum *trahere* significat aliquem invitum et contra voluntatem deducere in judicium. Cfr Bonacina *de Cens. in part.* Disp. I q. XVI sect. I p. IV n. 3. Supponitur 2º, ad forum saeculare trahi *personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones*. Quamvis personae ecclesiasticae — quarum nomine, quantum ad privilegium fori, veniunt omnes ordinati, etiam tonsura solum initiati; imo et Regulares, ac Moniales cum suis conversis et novitiis — de se ad forum saeculare deduci nequeant; dantur tamen casus numero plures (cfr Soglia p. III § 71 et 142), in quibus ob defectum ex parte personae judicandae, vel ob criminis seu causae naturam aliud de jure communi permittitur. Quandoque aliud etiam jure particulari, puta per concordatum Regni aut Imperii cum Sede Apostolica, concessum et indultum fuit. In his igitur rerum adjunctis, etsi cetera adessent, excommunicatio ob ejusmodi factum non contraheretur, quum res non fiat *praeter canonicas dispositiones*.

Quoad secundum delictum, quod hoc Articulo a verbo *item* perstringitur, illud imprimis advertendum est, quodsi olim ob hujusmodi violationem libertatis aut jurium Ecclesiae excommunicatione plecterentur etiam illi, qui tales leges vel Decreta applicarent,

sive, prout dicitur in Bulla *Coenae*, qui „factis et ordinatis usi fuerint;” in recenti Constitutione poena ista afficiantur soli *edentes* seu auctores istiusmodi legum vel Decretorum. Advertendum insuper est, eos tantum excommunicatione feriri qui *gravi culpa* sic agunt; atque adeo — quum e duobus malis, quorum alterutrum necessario subeundum est, ad evitandum majus, minus tuta conscientia eligi queat — a censura ista excusari posse, qui tali ratione seu motivo ejusmodi leges vel Decreta mere edunt. Hoc posito, tria hic inquirienda sunt: 1^o Qui *edentium* seu auctorum nomine veniant? 2^o Quid per *leges* et *Decreta* in casu intelligatur? 3^o Quid postremis verbis *contra libertatem aut jura Ecclesiae* significetur? — Ad 1^{um} *Edentium* nomine veniunt omnes, qui ut causa principalis aut coprincipalis ad talem legem aut Decretum vere ac realiter concurrunt; puta Rex aut Princeps, qui sua auctoritate ejusmodi legem vel Decretum evulgat; — Minister publicus, qui sua signatura talem legem vel Decretum confirmat; — Comitiorum etiam membra, quae pro tali lege sententiam seu votum ferunt. Hi omnes vero sensu *edentes* reputantur, et qua tales — ut primum lex per promulgationem in esse suo constituta est — excommunicatione innodantur, etiam ante legis executionem. Cfr Bonacina l. c. sect. II p. 1 n. 3 et 4; item Suarez de *Cens.* Disp. XXI sect. II n. 89. — Ad 2^{um} Per *leges* et *Decreta* intelliguntur quaevis ordinationes, etiam particulares tantum, quibus per modum legis vel Decreti aliquid praecipitur aut prohibetur. Est regula: „ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.” Consequenter, uti sentiunt etiam scriptores *Nouv. Rev. Théol.* T. III p. 249, non solum ordinationes generales seu communes, sed et particulares, puta provinciales, communales, etc. hic comprehendi videntur. Quinimo opinantur quidam, etiam ea quae per modum sententiae aut mandati decernuntur, sub Decreti denominatione contineri. Hoc tamen cum Bonacina l. c. n. 2 probabilius negari potest. Quum enim in materia poenali versemur, non est facienda extensio ultra propriam verborum significationem. Ad 3^{um} Verba ista in ratione *actionis* seu *modi*, quo „contra libertatem aut jura Ecclesiae” aliquid attentari possit, latissime sumuntur pro omni actione, qua „libertas ecclesiastica tollitur, seu in aliquo laeditur, vel deprimitur aut alias quovis modo restringitur.” Omnes hi modi, in Bulla *Coenae* speciatim designati, in praesenti Constitutione resumuntur et exprimuntur particula „contra.” In ratione

autem *objecti* seu *materiae*, quae verbis istis significatur, primo advertendum est, libertatem et jura Ecclesiae, etsi nonnunquam promiscue accipientur, in eo diserepare quod *libertatis* nomine stricto sensu intelligentur privilegia, exemptiones, immunitates, et alia hujusmodi onerum aut vinculum amotiones; *jus* autem, velut quid positivi, denotet legitimam potestatem aliquid faciendi vel obtinendi. Secundo advertendum est, in Const. Piana, sicut in Bulla *Coenae* non dici „Sedis (Apostolicae) ac quarumcumque ecclesiarum”, sed „*Ecclesiae*”; adeoque per libertatem et jura, quorum violatio subpoena excommunicationis in praesenti prohibetur, intelligi ea quibus ipsamet Ecclesia (non particulares tantum Provinciae aut Dioeceses) ad communem utilitatem de jure fruuntur aut frui debet.

Pro applicatione eorum, quae ad 3^{um} statuta sunt, videsis *Syllabum* anni 1864 § V et VI, praesertim pp. 19—21, 24—33, 41—54, ubi totidem errores aut facta, libertati aut juribus Ecclesiae adversa, a Pio IX solemniter proscripta sunt. Quotquot igitur leges vel Decreta edunt, quibus talia aut similia contra libertatem aut jura Ecclesiae attentantur, eo ipso (eacteris suppositis quae ad contrahendam censuram de jure requiruntur aut supponuntur) excommunicationem S. Pontifici speciali modo reservatam incurront.

ART. VIII.

„Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab ejusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes vel perterrefacientes.”

Ad tramitem hujus Articuli, quo majori ex parte innovatur quod in Bulla *Coenae* § 13 latius sancitum erat, triplex personarum genus excommunicatione perstringitur:

1º „Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta a Sede Apostolica, vel ab ejusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta.” Dicitur a) *recurrentes*, quo verbo, utpote indefinito, comprehenduntur omnes et singuli istiusmodi censurae capaces, tam laici, quam clerici, qui appellationem interponendo, libellum supplicem porrigendo, brachium saeculare invocando,

aut alio simili modo , adeunt seu configuiunt , b) *ad laicam potestatem* , quaecumque illa fuerit , puta legislativa , judiciaria , aut executiva , civilis aut militaris , suprema aut inferior tantum ; dummodo ad eam *qua talem* , seu formaliter sumptam , recursus fiat . Siquidem magistratus ejusdam laici , tanquam *privatae personae* , auxilium implorare , etiam in rebus de quibus hic agitur , non videatur praedicta poena attingi . (Cfr Bonacina de *Cens. in part.* Disp. I q. XIV p. f. n. 7) . Additur c) *ad impediendas* , i. e. ad effectum impediendi , quin etiam recursus a laica potestate admittatur , aut per ipsam impeditio fiat , d) *litteras vel acta quaelibet* , videlicet generalia aut specialia , perpetua aut temporanea , judicialia aut gratiosa , verbo : *cujuscumque naturae vel formae fuerint* , e) *a Sede Apostolica* , h. e. ab ipso R. Pontifice pro tempore existente (etiam praeterito aut futuro) , f) *vel ab ejusdem Legatis* , qui np. ut reprezentantes Sedis Apostolicae in locis ab Urbe dissitis personam seu vices S. Pontificis gerunt ac sustinent , g) *aut Delegatis* , quibus scil. ut mandatariis aut commissariis Sedis Apostolicae una aut certae quaedam causae cum potestate delegata sunt demandatae , h) *quibuscumque* , tam Legatis , quam Delegatis . Vox illa utrosque respicit , et in sua generalitate comprehendit Legatos cuiuscumque generis , scilicet *natos , a latere , ac missos vulgo Nuntios vel Internuntios nuncupatos* , etiam illos quos S. Pontifex ad nudum aliquod ministerium , v. g. ad foedus ineundum , ad gratulandum Principi , etc. quandoque deputat . Cfr Soglia p. II § 39 et 46 ; item Reiffenstuel L. I T. 30 n. 4—10. Intelliguntur quoque omnes ejusvis generis Delegati puta generales ac particulares , reales ac personales , a jure vel ab homine , etc. vide Soglia p. III § 135 et Reiff. L. I T. 29 n. 30—39. Additur tandem i) *profecta* , h. e. a personis supra enumeratis jam lata aut facta ; non mere intenta , aut concepta .

Ex hisce ita deductis a contrario concludere licet , excommunicationis poena non astringi , qui ad laicam potestatem recurrent ad impediendas litteras vel acta ab Episcopo vel alio Praelato *propria* seu ordinaria potestate profecta ; vel ad eam configuiunt ad praeveniendas litteras aut acta a Sede Apostolica , ejusdemve Legatis aut Delegatis *noudum* profecta seu edita .

2^o loco veniunt „ eorumque (scil. litterarum vel actorum , de quibus supra) promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes . ” Materia hujus paragraphi in eo differt a praecedent-

te, quod ibidem agatur de *recursu* ad laicam potestatem, *ut impedianter litterae vel acta a Sede Apostolica vel ab ejusdem Legatis aut Delegatis profecta*; hic vero de *prohibitione*, ne eadem promulgentur vel executioni mandentur.

Subjectum hujus partis sunt omnes „directe vel indirecte prohibentes”, etiam illi, qui sponte sua, quin ad ipsos recursus ad effectum impediendi intervenerit aut praecesserit, praedictarum Litterarum vel actorum promulgationem aut executionem directe vel indirecte, v. g. *Exequatur aut Placitum regium praerequendo*, injuste prohibit. In Bulla *Coenae* dicebatur: „impedit vel prohibent.” Quocirca nonnulli Bullae istius interpretes opinantur, perinde esse, sive obstatulum ponatur auctoritate, sive privata ratione; quia non solum magistratus, sed et particulares personae impedire possunt. Aliud tamen ad normam praesentis Constitutionis haud improbabiliter statui potest. In ea sermo est de solis prohibitibus: verbum autem *prohibere* in communi acceptione supponit auctoritatem ex parte agentis. Utrum vere ejusmodi prohibitio, auctoritate facta, debeat effectum habere, seu vere impedire promulgationem aut executionem, dubitari potest. Attamen, attento scopo hujus canonis, qui est, non tantum procurare promulgationem et executionem Litterarum et actorum Sedis Apostolicae etc.; sed compescere etiam molimina in contrarium, uti ex prima ejusdem parte colligere est; attenta simul natura prohibitionis, quae in esse suo completa censetur, quin effectum sortiatur; cum Bonacina l. c. punct. II n. 28 arbitramur, „ad incurriendam istam excommunicationem non requiri effectum prohibitionis”, sed eam per se sufficere. — Ex praemissis sequitur, ob ejusmodi prohibitionem excommunicationis poenae subiacere civilis imperii ministros, qui lege aut decreto inique vetant, ne Litterae vel acta Sedis Apostolicae etc. sine suo consensu aut beneplacito promulgentur aut executioni dentur; eos quoque, qui simili modo obstant, ne illi, quibus Litterarum vel actorum praedictorum executio commissa fuit, ingrediantur urbem aut locum, ubi executio est peragenda; etc.

3º loco recensentur „eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes vel perterrefacientes.” In hac tertia parte Articuli perstringuntur omnes et singuli, qui *eorum* actorum vel litterarum *causa* seu obtutu (om wille derzelve) *sive ipsas partes* h. e. *personas*, quas praefatae Litterae vel acta directe respiciunt, *sive alios*

puta partium patronos, auxiliarios, caeterasque personas, ad quas praedicta quadam ratione referuntur, *laedunt*, seu damno notabili in aliquo bonorum genere afficiunt, *vel perterrefaciunt* verbis, factis, aut alia quavis ratione, dummodo res fuerit mortaliter mala; secus enim de gravi poena, qualis est excommunicatio major, non potest esse sermo. Cfr *de Cens. in genere* n. 5; item Ligorio L. VII n. 30.

ART. IX.

„Omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum gratian vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum aut de mandato Ejusdem Romani Pontificis signatarum: nec non falso publicantes Literas Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplications hujusmodi sub nomine Romani Pontificis seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum.”

Quoad hunc Articulum, quo pene de verbo ad verbum instauratur ac renovatur quod antehac in Bulla *Coenae* § 6 constitutum erat, illud imprimis advertendum est, in eo totidem partibus tres personarum ordines excommunicatione feriri. Nimirum a) *falsarios* litterarum Apostolicarum ac supplicationum; — b) *falso publicantes* litteras Apostolicas; — c) *falso signantes* supplications hujusmodi sub nomine S. Pontificis etc. Advertendum praeterea est, quod in prima parte sermo sit de litteris ac supplicationibus; in secunda de solis litteris; in tertia de supplicationibus tantum.

Ut materia hujus Articuli perspecta habeatur, dicemus 1^o quid in singula illius parte supponatur aut requiratur, ut capropter excommunicationis poena contrahatur. 2^o Quid inde a contrario deduci queat.

Ad 1^{um} In prima ejusdem parte supponitur a) *falsum* seu falsitas, et quidem mortaliter mala, saltem in ratione contumaciae; ob culpam enim levem ex communi sententia non incurritur excommunicatio major. — b) *Falsum* committi in *litteris Apostolicis*, quae nimirum nomine S. Pontificis ejusdemve auctoritate, *etiam in forma Brevis* (a fortiori si in forma *Bullae*) expediuntur; vel in *supplicationibus* seu instantiis apud Sedem Apostolicam, *gratiam*,

v. g. indulgentiam, dispensationem, etc., vel *justitiam*, puta ut res litigiosa finiatur aut alteri definienda committatur, *concernentibus*. — c) Ejusmodi litteras aut supplicationes jam *signatas* fuisse per ipsum R. Pontificem, vel per S. R. E. Vice-Cancellarios, seu Gerentes vices eorum (quibus np. tanquam primis Cancellariae Apostolicae ministris, seu locum eorum tenentibus, de jure competit subscribere litteras in Tribunali isto expeditas), vel per alios de mandato, sive ex speciali commissione, Romani Pontificis. Cfr Luc. Ferraris V. *Falsum* n. 58; item Bonacina *de Cens. in part.* D. I p. VII p. I n. 1 et p. III n. 11.

Tria haec quoad primam partem certa ac comperta sunt. Major autem difficultas in eo est, quid hoc loco *falsi* nomine intelligatur? Juxta cap. *Licet 5 de crimine falsi* litterae Apostolicae novem modis falsari possunt. „Prima species, inquit Innoc. III l. c., falsitatis haec est, ut falsa bulla falsis litteris apponatur. Secunda, ut filum de vera bulla extrahatur ex toto, et per aliud filum immissum falsis litteris inseratur. Tertia, ut filum ab ea parte, in qua charta plicatur, incisum, cum vera bulla falsis litteris immittatur. . . . Quarta, cum a superiori parte bullae, altera pars fili sub plumbo rescinditur, et per idem filum litteris falsis inserta reducitur intra plumbum. Quinta, cum litteris bullatis et redditis, in eis aliquid per rasuram tenuem immutatur. Sexta, cum scriptura litterarum, quibus fuerat adposita vera bulla, cum aqua vel vino universaliter abolita seu deleta, eadem charta cum calce et aliis juxta consuetum artificium dealbata de novo rescribitur. Septima, cum chartae, cui fuerat adposita vera bulla, totaliter abolitae vel abrasae, alia subtilissima charta ejusdem quantitatis scripta cum tenacissimo glutino conjungitur. Eos etiam a crimine falsitatis non reputamus immunes, qui contra Constitutionem nostram scienter litteras non de nostra vel bullatoris nostri manu recipiunt. Illos quoque, qui accessentes ad bullam falsas litteras caute projiciunt, ut de vera bulla cum aliis sigillentur.” Verumtamen quia in Articulo supra descripto (ita quoque in Bulla *Coenae* l. c.) sermo est de falsariis litterarum ac supplicationum, quae per R. Pontificem aut alios illic nominatos jam *signatae* sunt, et quidem de *gravissima* poena iisdem propterea imposta, idecirco cum probatis auctoribus dicendum videtur, hoc loco non intelligi falsarum litterarum aut supplicationum confictio- nem seu fabricationem, nec quamlibet falsificationem in veris litte-

ris aut supplicationibus peractam; sed eam falsitatem, qua *verae litterae Apostolicae* aut *vera Rescripta Pontificia*, per additionem, detractionem, aut aliter *contra mentem S. Pontificis* quoad *sensum* immutantur. „Non omnibus illis modis, inquit Alterius in praefatum juris capitulum, incurritur haec excommunicatio posita in prima parte hujus canonis (Bullae *Coenae*, et idem est in easu, de quo disserimus). Puta si quis falsam bullam falsis litteris apponat..... Et idem dicendum de quibusdam aliis modis ex enumeratis..... Falsare litteras Apostolicas, ut hoc excommunicatio afficiat, non est novas litteras confingere, sed veras litteras Apostolicas ab earum sincera veritate immutare.” Et Castro Palao *de Cens. Disp.* III p. VII n. 3: „Falsarii litterarum (in sensu Bullae *Coenae*) sunt, qui iisdem litteris aliquid tollunt vel addunt, ex quo sensus litterarum mutatur; quaelibet autem verborum mutatio, retento sensu, falsitatem proprie non inducit.”

In secunda hujus Articuli parte duo supponuntur: a) *falsa publicatio*, qua np. confictum aliquod scriptum pro vero in publicum editur. — b) Sic publicari *litteras Apostolicas*; non mera Rescripta Pontificia gratiam aut justitiam concernentia.

In tertia ejusdem parte duo quoque supponuntur: a) *falsa signatio*, qua np. quispiam aliquod scriptum nomine S. Pontificis, aut Vice-Cancellariorum, etc. falso seu mendaciter subscribit aut signat; — b) hujusmodi falsam signationem committi in Rescriptis Pontificiis gratiam aut justitiam concernentibus; non in litteris Apostolicis in forma Bullae aut Brevis editis.

Ad 2^{um} Haec cum ita sint, inde a contrario deducere licet, poenam hujus Articuli non incurri: a) ob meram *cooperationem* in praefatis actionibus, nec ob solum *usum* falsarum litterarum Apostolicarum etc. Ratio est, quod in eo agatur de falsariis, de falso publicantibus, et de falso signantibus: poena autem, utpote odiosa, extendenda non est ultra terminos expressos. Cfr Castro Palao l. c. n. 7; item Dens *de Cens. in gen.* n. 5. — An vero, et quando ob ejusmodi usum aut cooperationem in crimen excommunicatio Episcopis reservata contrahatur, dicetur infra Tit. III Art. III. — b) Ob falsitatem etiam proprie dictam litterarum aut Rescriptorum, quae a SS. Congregationibus, a S. Poenitentiaria, a Legatis aut Nunciis Apostolicis, ab Episcopis aut aliis Ecclesiae Praelatis,

proprio nomine emittuntur: illa enim qua talia non sunt vero sensu litterae Apostolicae aut Rescripta Pontificia. Cfr Bonacina l. c. punct. I n. 2. — c) Ob correctionem erroris grammaticalis, aut aliam istiusmodi leviorem immutationem, quin sensus aut substantia alteretur; quia non est falsitas proprie dicta, aut certe non constituit gravem culpam, ad contrahendam excommunicationem communiter requisitam. Cfr Suarez de *Cens. Disp.* XXI n. 46. — d) Nec, probabiliter saltem, ob mutationem etiam majorem *juxta mentem* S. Pontificis peractam: v. g. petita ac data fuit a R. Pontifice dispensatio in consanguinitate, et Notarii errore in Rescripto expressa fuit affinitas: correctio talis erroris (etsi cavendum sit, ne propria auctoritate fiat; opus enim illicitum attentaretur incassum cfr Feije de *imp. et disp. matr.* n. 723), cum falsum tollit, et verum restituit juxta mentem concedentis, non videtur esse vera ac propria falsificatio, uti notat Schmalzgrueber L. V T. XX n. 43. — e) Nec tandem ab iis, qui litteras Apostolicas falso configunt seu fabricant, non tamen publicant: siquidem ob rationem supra datam hujusmodi fabricantes *falsariorum* nomine striete non veniunt. Dein quum aliud sit, litteras falsas fabricare; aliud, ejusmodi litteras publicare (potest quippe aliquis falsas litteras fabricare, quin eas publicet; et vicissim potest quis ejusmodi litteras publicare, quin eas fabricaret); idcirco etiam *falso publicantium* denominatione non videntur designari. — Juxta pristinum textum Bullae *Coenae* non falso publicantes, sed falso fabricantes excommunicationis poena plectebantur; verum quia a tempore Alexandri VII hac in re facta est mutatio, quam S. D. N. Pius IX in sua Const. retinuit; ideo ob rationem inversam opinamur, impraesentiarum non falso fabricantes, sed falso publicantes praedictae excommunicationi solos subjacere.

Caeterum quum in 2^a parte hujus Articuli de solis litteris Apostolicis; et in 3^{ia} parte de solis supplicationibus sermo sit, a contrario sequitur, memoratam poenam haud incurri ob falsam publicationem Rescriptorum Pontificiorum, nec ob falsam signationem litterarum Apostolicarum. Vide *Nouv. Rev. Théol.* T. III p. 465 et seq.

ART. X.

„Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo, si aliis Sacerdos, licet non adprobatus ad confessio-

nes, sine gravi exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem."

Pro adaequata notione hujus canonis, quo paucis iteratur ac renovatur quod antea a Bened. XIV in Bulla *Sacramentum Poenitentiae* § 4 constitutum, et in Brevi *Apostolici muneris* § 2—4 confirmatum ac declaratum fuit, tria in antecessum sint dicta. 1^o Peccatum complicis in materia turpi, cuius absolutio sub poena excommunicationis prohibetur Sacerdoti ejusdem criminis reo, „sublata illi, uti ait laudatus Pontifex, ipso jure quacumque auctoritate, et jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam,” proprie loquendo, non esse casum reservatum. Potest quippe a praefato peccato absolvere omnis sacerdos, qui in mortalia potestatem habet. Solus ille excipitur, qui complex et reus est ejusdem criminis. Cfr P. Pauwels *de cas. reserv.* T. I n. 608.—2^o Excommunicationem, ob vetitam solutionem complicis in peccato turpi contractam, in Bulla *Sacramentum Poenitentiae* Romano Pontifici *speciali* modo reservari. Consequenter generalis facultas „absolvendi a quibusvis peccatis et casibus sive Summo Pontifici sive Episcopo reservatis,” pro solutione a praefata censura non solum non sufficit; sed et illi, quibus in Statuto 29 Aprilis 1879 ab Ordinario Nostro ex speciali gratia Sedis Apostolicae potestas facta fuit absolvendi „ab iis quoque censuris quae in Const. Pii IX *Apostolicae Sedis* 12 Octobris 1869 Summo Pontifici speciali modo reservantur,” a casu isto absolvere nequeunt. Quantum ad hunc casum, utpote *alibi* speciali modo reservatum, prae oculis habendum ac sedulo servandum est, quod ad normam Decreti Supr. Congr. S. Officij diei 27 Junii 1866 in facultatibus absolvendi ab omnibus casibus Sanctae Sedi reservatis excipiendi semper in posterum et excepti habendi sunt casus reservati in Bulla Benedicti XIV, quae incipit *Sacramentum Poenitentiae*. Facultas absolvendi a casibus in ea Bulla reservatis, ne ipsis locorum Ordinariis attribui solet, aut certe ad vires tantum concedi. Quare cum el. Avanzini *Comment.* p. 19 dici potest, „excommunicationem latam in attentantem solutionem complicis, esse hodie *specialissimo modo* reservatum.” — 3^o Absolutionem complicis in peccato turpi in iisdem rerum adjunctis, quibus de jure communi sub poena excommunicationis interdicitur, jure particulari in Dioecesi nostra sub

poena *suspensionis* Episcopo specialissime reservata prohiberi. Cfr Syn. Dioec. cap. XIII p. 45.

Hisce praemissis, Articulum supraposatum membratim expenda-mus. Patebit inde, quot et quae conditiones requirantur aut supponantur, ut propter ejusmodi crimen memoratae poenae incur-rantur.

Dicitur 1^o *Absolventes*. Itaque etsi olim disceptari potuerit, utrum simplex confessionis auditio, aut mera absolutionis simulatio in Bulla *Sacramentum Poenitentiae* sub poena excommunicationis prohi-bitita esset (qua de re ipsem S. Ligorio L. VI n. 556 dubitanter lo-quitur) hodieum tanquam certum statui potest, ex parte confessarii opus esse, ut complici suo in peccato turpi absolutionem reapse dederit. Qui confessionem solum audiunt, aut absolutionem Sacra-mentalem mere fingunt, vero sensu dici nequeunt *absolventes*. Por-ro cum ex regulis generalibus (*de Cens. in gen. n. 5*) excommuni-catio major non censeatur contrahi, nisi ex parte delinquentis ad-sit *mortale* peccatum; cum insuper ob pravam complicis absolu-tionem in Const. Bened. XIV is solum excommunicationis poena per-stringatur, qui extra casum necessitatis (de quo infra sub 4^o) „se-cus facere *ausus* fuerit”; ex parte confessarii opus praeterea est, ut absolutionem impertiendo mortaliter peccet, eamque in compli-cem suum scienter ac temere proferat. Consequenter si forte sacer-dos absolvens complicem, ob ignorantiam, puta quod nesciret poenitentem esse suum complicem, vel ob actus indeliberationem, aut aliam hujusmodi causam, a gravi peccato, vel etiam a praesump-tione seu ausu temerario excusaretur, a poena quoque excom-municationis immunis foret. Utrum vero talis absolutio, quamvis a poena eximi queat, in se valida sit; non una est DD. senten-tia. Attamen cum auct. *Casuum cons. Bonon.* anni 1758 mens. Jan-eas. II dicendum videtur: „saltem direete hanc esse invalidam, sup-posito quod agatur de gravi peccato turpi et inhonesto contra 6 praece. Decal. alteri nondum confessio. Ratio est, quia laudatus Pontifex Bened. XIV in Const. *Sacramentum Poenitentiae* sustulit ipso jure cuilibet sacerdoti, extra casum necessitatis, quamecumque auctoritatem et jurisdictionem ad qualecumque personam ab hu-jusmodi culpa absolvendam; irritamque declaraverit, ac omniuo nul-lam Absolutionem ab eadem a confessario complice impertitam.” Vide etiam Ligorio L.VI n. 555. Gury *Cas. consc. T. II n. 613*, et alios.

Dicitur 2^o *complicem*. Intelligitur hac voce quilibet homo, sive masculus sive femina, sive puber sive non, dummodo gravis peccati sit capax. In Const. Benedictina in terminis legitur: „sublata... jurisdictione, ad *qualemcumque* personam ab ejusmodi culpa absolvendam.”

Dicitur 3^o *in peccato turpi*, h. e. contra sextum Decalogi praeceptum commissa. Quamvis absolutio complicis in aliis etiam peccatis, si non illicita (hac in re non consentiunt Theologi), saltem regulariter inconveniens sit, et hoc quidem motivo ipsem S. Carolus Borromaeus in *Syn. Dioec. XI* confessariis suae Dioeceseos interdixerit facultate sui cujuscumque criminis socium absolvendi; „negari tamen non potest, uti ait Bened. XIV. *de Syn. Dioec. L.* VII cap. XIV n. 4^o, majorem quamdam, et graviorem dishonestatem adesse, ut sacerdos illius personae confessionem excipiat, cum qua impudicitiae scelus admisit.” Quocirea idem Pontifex, cuius edictum in praesenti Const. Pii IX innovatur, sub poena excommunicationis solum prohibuit absolutionem „complicis in peccato turpi, atque dishonesto, contra sextum Decalogi praeceptum commisso.” Ut autem ob ejusmodi absolutionem poena ista vere contrahatur, peccatum contra sextum debet esset utrimque mortale, internum et externum, utriusque commune seu ex mutua cooperatione simul commissum, ab alio confessario nondum directe remissum. Cfr Dens *de Poenit.* n. 215; Theol. Mechl. *de cas. reserv.* n. 25; item Pauwels *de cas. reserv.* T. I n. 593—595. Quinimo cum Salmant. append. ad Tract. VI de Bulla *Cruciatae* cap. VI n. 280, quorum sententiae adhaerere videtur ipsem S. Alphonsus L. VI n. 554, haud improbabiliter dici potest, peccatum istud debere esse undeque certum. „Supponendum est, aiunt Salmanticenses l. c., peccata mortalia dubia, non solum in dubio juris, sed facti, in dicta Constitutione (Bened. XIV, et idem est in praesenti) non esse comprehensa. Quia, cum reservatio sit odiosa, et stricte interpretanda, non videtur superior velle reservare talia peccata, quando manent sub dubio, nisi oppositum expresse declarat; quod non facit Pontifex in praesenti.”

Dicitur 4^o *etiam in articulo mortis, si alius sacerdos* etc. Hisce verbis, quibus explicit hic canon, denotatur, ipsum etiam mortis articulum per se haud satis esse, ut quis complicem in peccato turpi absolvat, sed insuper requiri, ut *vel* alius sacerdos, etiam

simplex seu non approbatus ad confessionem excipiendam, omnino haberi nequeat, *vel* saltem aliis, si forte adsit, sine gravi exortura infamia et scandalo, non possit excipere morientis confessionem. Alterutrum horum in mortis articulo requiri, sed et satis esse ex ipso canonis tenore deduci potest, atque in terminis traditur a Bened. XIV *de Syn. Dioec.* L. VII cap. XIV n. 4. „Ut conscientiarum tranquillitati consuleremus, sic dicitur l. c., aliis similibus litteris datis die 8 Februarii 1745.... declaravimus, ad rem (scil. mortis articulum) de qua agimus, perinde esse, nullum adesse sacerdotem praeter illum, cum quo poenitens in honeste peccavit, aut eum tantum adesse, quem idem poenitens constitutus in mortis articulo, eligere nequit sine periculo scipsum infamandi, aliquisque malam suspicionem ingerendi.”

Porro quoad hunc rerum statum, in quo *necessitatis* causa confesario permittitur, seu potius non prohibetur, complicem in peccato turpi absolvere, nonnulla speciatim attendenda sunt. Primo quidem, mortis articulum seu periculum (haec enim duo, teste Ligorio VI 561, verius et communius pro eodem sumuntur) non debere esse verum seu reale; sed satis esse, modo prudenter judicetur adesse. „Ut sacerdos complex jurisdictione potiatur, inquit Gury *Cas. conscientiae* T. II n. 630, sufficit ut judicium probabile ferat de mortis periculo complicis, adeo ut ministerium suum prudenter exerceat haud secus ac si de alio quolibet aegroto agatur.” Id quod Salmant. app. ad Tract. VI de Bulla *Cruciaiae* cap. III n. 137 generatim docent, etiam in easu applicabile est. „Dum aliquod indulatum in jure, vel privilegio pro mortis articulo conceditur, non de vero mortis periculo praecise accipendum est; sed de vero vel praesumpto: dum contrarium nou exprimitur.” — Secundo, infamiam ac scandalum, quorum obtutu absolutio complicis in mortis articulo permittitur, esto quod aliis sacerdos haberi possit, non consistere in incommodo aut molestia, quae a confessione sacramentali alteri sacerdoti facta, inseparabilis est; ast in famae denigratione et sinistra suspicione, quae inde respectu multitudinis fundate timenda est. „Periculum infamiae, aiunt Salmant. l. c. cap. VI n. 257, vel est respectu multitudinis, vel solius simplicis sacerdotis. Si secundum: parum vel nihil officit, cum respectu unius, vel non detur infamia, vel illam qualemqualem debeat complex sustinere ob culpam commissam, quae in eas angustias illum adegit.” —

Tertio infamiae ac scandali istius periculum a confessario non esse levi de causa fingendum aut supponendum. „Sciat complex ejusmodi sacerdos (ita Bened. XIV in Const. *Apostolici numeris* § 3) et serio animadvertat, fore se reipsa coram Deo, qui irrideri non potest, reum gravis adversus praedictam Nostram Constitutionem (*Sacr. Poenit.*) inobedientiae, latisque in ea poenis obnoxium, si praedictae infamiae aut scandali pericula sibi ultro ipse configat, ubi non sunt.” — Quarto, istiusmodi pericula, quantum fieri possit, a confessario esse antevertenda vel removenda. Sacerdos complex, ita prosequitur Bened. XIV l. c. „intelligat, teneri se graviter hujusmodi pericula, quantum in se erit, antevertere vel removere, opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis sacerdoti locus pateat illius confessionis absque ullius infamia vel scandalo audiendae.” Quodsi sacerdos ad id periculum avertendum congrua media adhibere de industria neglexerit, atque ita personam in dicto crimine complicem in mortis articulo absolvere praesumpserit, valide quidem procedet, memoratam tamen poenam haud effugiet, prout ipsemet Bened. l. c. § 4 latius declarat. — Quinto, complicis confessionem in mortis articulo rite inchoatam, valide ac liceite compleri posse, licet interim periculum istud videretur cessare, aut alius sacerdos ante absolutionem superveniret: sicut enim morte delegantis non expirat jurisdicio relative ad ea quae jam coepta sunt, uti constat ex cap. *Relatum 19*, et cap. *Gratum 20 de off. et pot. jud. deleg.*; ita etiam, teste Gury *Cas. consc.* T. II n. 631, in casu memorato jurisdicio permanere censetur, donec confessio, rite ac legitime inchoata, fuerit absolutione completa.

Ad haec duo sunt, de quibus disputant Theologi. Quaeritur 1^o An confessarius absolvere queat complicem suum in mortis articulo, si forte hic, absque illius culpa, alteri sacerdoti, quo sine infamia et scandalo uti potest, confiteri recuset? R. In his rerum adjunctis, dummodo poenitens, quantum ad Ecclesiae vetitum in bona fide degens, caeteroquin rite dispositus sit, *validam* esse Absolutionem, ambigi nequit: nam si pro formidando mortis articulo, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, illi etiam sacerdoti, qui nulla necessitate compulsus sese ingesserit, aut media ad avertendum infamiae ac scandali periculum adhibere neglexerit, necessariam jurisdictionem auferre non intendit Ecclesia, prout docet Bened. XIV in Brevi *Apostolici numeris* § 4; illud ipsum in praedicta hypothesi a fortiori

tenendum est. Dein quum idem Pontifex l. c. illum sacerdotem tantummodo incuset ac damnet, qui complicis „sacramentalem confessionem excipere, ab eoque crimine absolutionem largiri, nulla necessaria causa cogente, praesumpserit”; aliis verbis, qui a parte sua culpabiliter ac temere procedit, uti pag. 46 declaratum fuit; haud improbabiliter dici potest, in iis rerum circumstantiis etiam *licite* et *impune* absolutionem dari posse. „Quando infirmus ad mortem cuilibet alii confiteri recusat, non solum aeterna infirmi salus necessitatem huic sacerdoti imponit audiendi confessionem, sed facile accedet etiam causa scandali, si infirmi confessionem excipere abnuat.” Ita Ballerini in n. 586 T. II Theol. P. Gury. — Quaeritur 2º Num *unquam*, etiam *extra* mortis articulum, confessarius complicem suum in peccato turpi, saltem *indirecte*, absolvere possit? R. Putant quidam illud quandoque *indirecte* sic fieri posse, si np. ex una parte urgeat necessitas confitendi, et ex alia ejusmodi confessio ab altero sacerdote excipi nequeat sine gravi exoritura infamia aut scandalio. „Loquendo de aliis casibus reservatis, sic scribunt Salmant. l. c. cap. VI n. 262, quoties urget necessitas adimplendi praeceptum confessionis aut communionis, ita ut non possit omitti sine gravi infamia vel scandalio, et pro tunc non patet aditus ad superiorem, potest sacerdos inferior habens jurisdictionem circa peccata non reservata, illa directe remittere, et indirecte reservata: ergo licet confessarius complex in peccato turpi careat jurisdictione directa hujus peccati, dummodo illam habeat pro aliis, ut supponimus habere, valebit indirecte absolvere suum complicem, casu, quo ex non adimplectione praecepti, vel ex confessione cum alio, sequatur scandalum vel infamia.” Verum, concessu antecedente (hac tamen adjecta vel subaudita conditione, ut sic absolutus a casu reservato propter impedimentum temporale, illo sublato, se quamprimum sistat superiori aut alii sacerdoti facultatem habenti a reservatis directe absolvendi cfr *Responsa* p. 151 sub 3º), duo sunt, ob quae consequentia istius argumenti neganda videtur. Primo, peccatum complicis non est, stricte loquendo, causus reservatus, prout ab initio notatum fuit: non potest igitur *a simili*, seu analogice, hic disputari. Dein falsa, aut saltem incerta, prorsus est suppositio superius facta. Sacerdos complex in peccato turpi, jurisdictione caret non solum quoad peccatum istud; sed verisimilius etiam quantum ad caetera mortalia quae poenitens, a

priore peccato per alium nondum directe absolutus, ipsi confitetur; prout cum S. Alphonso L. VI n. 555 inferri potest ex verbis Const. Benedictinae: „sublata illi ipso jure quacumque auctoritate adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla atque irrita *omnino* sit.” Putamus igitur, confessarium extra mortis articulum numquam, ne indirecte quidem, absolvere posse complicem suum in peccato turpi. Plura videsis in *Cas. conc. Bon.* anni 1782 mense Apr. cas. II; item *Nouv. Rev. Théol.* T. III p. 615.

ART. XI.

„Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, redditus, ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut Beneficiorum pertinentes.”

Quod hoc canone sub poena excommunicationis cohabetur, jam pridem in Bulla *Coenae* § 17 eadem poena prohibitum erat in hunc modum: „quive jurisdictiones, seu fructus, redditus et proventus ad Nos et Sedem Apostolicam et quascumque ecclesiasticas personas, ratione ecclesiarum, monasteriorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quavis occasione, vel casu, sine Romani Pontificis vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant.”

Ut materia hujus canonis, qui latus est in tuitionem bonorum ad *personas ecclesiasticas* speciali modo pertinentium (de Decreto Trid. sess. XXII cap. XI de ref., quo bonorum cuiuscumque ecclesiae aut pii loci occupatores severe puniuntur, dicetur infra Tit. IV in fine, item App. I sub 3^o), vere adsit, quinque conditiones concurrere debent, quas ordinatim tractabimus, interponendo conclusiones, quae inde erui, et dubia, quae ea de re moveri possunt.

1^o In ratione actionis requiritur *usurpatio aut sequestratio*. Verbum *usurpare* latiori sensu idem significat, ac rem alienam sibi adscribere; in sensu autem proprio, prout hic accipitur, denotat actionem, qua quis rem alienam sibi sumit tanquam propriam, tametsi sciat ad alium pertinere. Vide Castro Palao *de Cens. Disp.* III p. XVIII n. 4^o; item Bonacina *de Cens. in part. Disp.* I q. XVIII n. 3^o. Itaque *usurpatum* nomine in hoc Art^o. non veniunt: a) qui personarum ecclesiasticarum bona invadunt aut capiunt tanquam aliena, uti faciunt fures ac latrones. Ad dubium S. U. Inqui-

sitioni propositum: „censura undecima specialiter reservata summo Pontifici sic exprimitur *usurpantes etc.* Sub nomine *usurpantes* comprehendenterurne fures, qui furarentur Beneficiariis fructus suorum beneficiorum? Feria IV die 9 Martii 1870 *Emi DD.* dixerunt: non comprehendendi.” — b) Qui bona personarum ecclesiasticarum non solvunt, aut furto ablata iisdem non restituunt. Quamvis sic agendo graviter peccent, stricto tamen sensu *usurpantes* dici nequeunt. Pignatelli *Consultat.* T. VII *Consult.* XI n. 9. — c) Qui praefata bona, a Gubernio aut aliis usurpata, ab iis emunt vel alio modo accipiunt. Aliud quippe est, ejusmodi bona usurpare; aliud, eadem ab usurpatore accipere per contractum: in casu igitur cum cl. Avanzini in *Comment.* p. 82 dici potest, „quum heic agatur non de natura et gradu criminis, sed de censura voluntate legislatoris inficta, locum habet regula juris: legislator quod voluit expressit, quod autem non expressit noluisse censendus est.” Caeterum, prout in Resp. S. U. I. Cong. de die 8 Julii 1874 expresse dicitur, „minime dubitandum, quin ementes bona ecclesiastica ab usurpatibus usurpata incident in excommunicationem Romano Pontifici reservatam; etenim praescindendo, an supradicta emptio aliquo modo attingatur a Const. *Apostolicae Sedis* Art. XI, nulli dubium esse potest quin comprehendatur a clarissima dispositione cap. XI de Reform. sess. XXII Concilii Tridentini.” — d) Qui memorata bona tanquam propria diripiunt, bona fide credentes, eadem ad se pertinere; nam, ut supra visum est, ad naturam usurpationis spectat, ut quis bona aliena tanquam propria sibi sumat, tametsi *sciat* esse aliena seu ad alium pertinere: deficit ergo una nota ad veram usurpationem necessaria; quin et culpa, aut certe contumacia ad contrahendam censuram universim praerequisita. Cfr Luc. Ferraris V. *Bona* Art. I n. 30. — *Sequestratio*, altera actio hoc canone prohibita, „generatim loquendo, uti ait Bonacina l. c. n. 8. 9. nihil aliud est, quam rem aliquam, de qua inter duos controvertitur, tradere alicui personae custodiendam vel etiam possidendam, donec lis dirimatur, cui de jure debeatur Observa tamen, duplē esse sequestrationem, alteram voluntariam quae fit de consensu utriusque partis; alteram necessariam quae fit de pracepto judicis ad instantiam unius partis, vel ex officio judicis. Hoc in loco non est sermo de sequestratione primo modo, sed secundo: nam Pontifex cavere intendit damna et injurias ecclesiasticorum: nullus autem

sciens et volens damnum et injuriam pati censemur; cum scienti et volenti non fiat injuria." Adverte insuper, hic non agi de qualibet sequestratione necessaria; sed de illa, quae a judice fit „sine Romani Pontificis vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia," quemadmodum in Bulla *Coenae expresse additur*, et in Const. Piana tacite supponitur. „Non quomodocunque, inquit Suarez de Cens. Disp. XXI sect. II n. 99, prohibetur hic actus, sed quatenus est usurpatae jurisdictionis; quod non erit, si cum praedicta facultate fiat."

2º In ratione objecti tria sunt, quorum usurpationi aut sequestrationi excommunicatio ad normam hujus Articuli annexatur; vide-licet: *jurisdictio, bona, redditus*. Primum, *jurisdictio*, sic appellata a jure dicendo tanquam praecipuo publicae auctoritatis officio, latiori sensu prout in jure sumi solet, significat regendi ac gubernandi potestatem. Secundum, *bona*, denotat fundos seu res, prout a fructibus aut proventibus earum distinguuntur. Termini illius additio in praesenti Constitutione omne dubium sustulit quoad quaestionem olim agitatam: Utrum ille, qui non fructus aut proventus, sed ipsum fundum usurparet aut sequestraret, ad tramites Bullae *Coenae* excommunicationi subjaceret? (Cfr Castro Palao l. c. n. 17—19). Tertium, *redditus*, in sua generalitate complecti videtur quaelibet emolumenta temporalia, puta „fructus, redditus et proventus", quae in dicta Bulla pro majori solum claritate distinctis nominibus expressa erant. Ex contrario fas seu copia esse non videtur, terminum *redditus* ad alia pretendere, puta ad pecunias ex venditione reddituum perceptas; licet enim ejusmodi pecuniae corum locum teneant; vere tamen et proprie non sunt ecclesiarum aut beneficiorum redditus, sed potius lucrum seu commodum ex illorum venditione proveniens. Cfr Castro Palao l. c. n. 20; item Bonacina l. c. punct. II n. 9.

3º Per verba „*ad personas ecclesiasticas*" indicatur subjectum, cui jurisdictio, bona, redditus, competere debent, ut propter eorum usurpationem aut sequestrationem memorata poena incurritur. Personarum ecclesiasticarum nomine, teste Castro Palao l. c. n. 15, intelliguntur omnes et singuli, qui privilegio fori ac canonis de jure gaudent; consequenter, cum et Regulares atriusque sexus, servatis servandis, privilegio isto de jure fruantur (cfr Soglia p. III § 71),

dubitari nequit, quin et illi, eorumque jurisdictio, bona ac redditus hoc canone protegantur; dummodo caeterae conditiones in canone suppositae revera adsint. Cl. Avanzini in suis *Commentariis* p. 83 quaestionem hanc indirecte attingens, nullum quidem ea de re dubium movet; contra categorice affirmat, sub poena hujus Articuli comprehendи illos, „qui usurpant aut sequestrant bona Monasteriorum: pertinent enim ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclęiarum.”

Dicitur 4º *ratione suarum ecclęiarum aut beneficiorum.* Verbis istis indicatur modus aut titulus, quo jurisdictio, bona, redditus personis ecclesiasticis competere debent. Ut propter illorum usurpationem aut sequestrationem poena hujus canonis quis innodetur, satis non est, quod quovis modo vel titulo ad personas ecclesiasticas pertineant; titulo *sacro*, et quidem „ratione ecclęiarum aut beneficiorum” ad eas pertineant, necesse est. Consequenter si forte quispiam usurpare aut sequestrare praesumat personarum ecclesiasticarum bona patrimonialia, vel etiam ea quae *occasione* sacrarum functionum iisdem obveniunt, puta jura stolae, distributiones quotidianas, Missarum stipendia, et alia id genus plura, passim quasi-patrimonialia dicta (cfr. *Tract. de jure et princ. juris* n° 22. 24. ed. 1860), gravi certe peccato sese commacularet; a praefata tamen censura immunis esset. Praeterea cum plura dentur bona ecclesiastica, quae ratione ecclęiarum aut beneficiorum ad personas ecclesiasticas non spectant, qualia sunt hospitalia, nosocomia et alia istiusmodi Instituta, ad alium pium finem auctoritate Episcopi erecta, etiam horum usurpantes aut sequestrantes poena hujus canonis (aliud quippe est de poena a Trid. Conc. l. c. fulminata) non vindentur attingi. Vide Bonacina l. c. punct. II n° 19 et Avanzini in *Comment.* p. 82. — In Bulla *Coenae* dicebatur: „ratione ecclęiarum, monasteriorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum.” Quaeri ideo potest, utrum omissione vocis *monasteriorum* per praesentem Constitutionem in hac parte limitatio quaedam inducta sit? R. Negant plures; quia, ut supra cum Avanzini dictum fuit, bona monasteriorum pertinent ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclęiarum. Itaque quod in Bulla *Coenae* expresse erat constitutum, hic implicite continetur. Sic quoque sentiunt scriptores *Nouv. Rev. Théol.* T. IV p. 16. ac certum reputant ob rationem modo prolatam. Fatendum tamen est hanc rationem seu motivum non omni-

bus probari. Cfr App. X ad *Acta S. Sedis* p. 371 sq. Praeterea quum generale ac notissimum effatum sit: *Legislator quod voluit expressit, quod non expressit, noluisse censendus est*, concludunt inde, quod vocis istius omissione vera limitatio monasteriorum respectu facta sit. In hac illorum opinione usurpantes aut sequestrantes monasteriorum bona hujus Articuli poena non afficiuntur; attamen cadunt sub censura Tridentina, R. Pontifici simpliciter reservata.

Additur 5^o *pertinentes*. Hac voce insinuari aut requiri videtur, ut personae ecclesiasticae ad memorata objecta ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum jus reale sive, ut vulgo dicitur, *jus in re* habeant. Enimvero quae alicui ex jure personali, sive jure *ad rem* solum debentur, vere ac formaliter ad ipsum pertinere non censentur. Quapropter quum hic versemur in materia penalium, adeoque strictae interpretationis, probabiliter dici potest, censuram hujus Articuli non incurri ab haerede aut legatario, qui bona aut redditus ecclesiae aut Monasterio ab haerede relictos, iisdem tradere aut consignare recusaret. Cfr Bonacina l. c. punct. II n. 14.

ART. XII.

„Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios Civitates, Terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis; nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.”

In limine annotationum in hunc canonem, qui latus est in defensionem dominii temporalis Sedis Apostolicae, tria documenta hoc spectantia referre lubet. Primum desumitur ex Bulla *Coenae* § 20, ubi sic statutum erat: „Excommunicamus, et anathematisamus omnes illos, qui per se, seu alios directe vel indirecte sub quocumque titulo, vel colore invadere, destruere, occupare, et detinere praesumpserint, in totum vel in partem, Almam Urbem,... et alias Civitates, terras, et loca, vel jura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictaeque Romanae Ecclesiae mediate, vel immediate subjecta; nec non supremam jurisdictionem in illis Nobis, et eidem Romanae Ecclesiae competentem de facto usurpare, perturbare, retinere, et vexare variis modis praesumunt: nec non

adhaerentes, fautores, et defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet praestantes.” Secundum suppeditant Litterae Apostolicae 26 Martii 1860, in quibus S. Pont. Pius pp. IX post primam ditionis sua invasionem inter alia declarat: „eos omnes, qui nefariam in praedictis Pontificiae Nostrae ditionis provinciis rebellionem et earum usurpationem, occupationem et invasionem et alia hujusmodi, de quibus in memoratis Nostris Allocutionibus die 20 Junii et 26 Sept. superioris anni conquesti sumus, vel eorum aliqua perpetrarunt; itemque ipsorum mandantes, fautores, adjutores, consiliarios, adhaerentes, vel alias quoscumque praedictarum rerum executionem quolibet praetextu et quovis modo procurantes, vel per seipsos exequentes, majorem excommunicacionem, aliasque censuras ac poenas ecclesiasticas a sacris Canonibus, Apostolicis Constitutionibus, generalium Conciliorum, Tridentini praesertim (sess. XXII cap. XI de ref.) decretis inflictas incurrisse, et, si opus est, de novo excommunicamus et anathematizamus; item declarantes, ipsos omnium, et quorumcumque privilegiorum, gratiarum et indultorum sibi a Nobis, seu Romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris quomodolibet concessorum amissionis poenas eo ipso pariter incurrisse, nec a censuris hujusmodi a quoquam, nisi a Nobis, seu a Romano Pontifice pro tempore existente (praeterquam in mortis articulo, et tunc cum reincidentia in easdem censuras eo ipso quo convaluerint) absolvit ac liberari posse, ac insuper inhabiles, et incapaces esse, qui absolutionis beneficium consequantur, donec omnia quomodolibet attenta publice retractaverint, revocaverint, cassaverint, et aboleverint, ac omnia in pristinum statum plenarie et cum effectu reintegraverint, vel alias debitam et condignam Ecclesiae ac Nobis, et huic Sanctae Sedi satisfactionem in praemissis praestiterint.” Tertium habetur in Litt. Encyclicis 1 Novembris 1870, in quibus idem Pontifex post ultimam Urbis occupationem sic effatus est: „Declaramus, eos omnes, qualibet dignitate etiam specialissima mentione digna, fulgentes, qui quarumcumque provinciarum Nostrae ditionis atque almae hujus Urbis invasionem, usurpationem, occupationem, vel eorum aliqua perpetrarunt, itemque ipsorum mandantes, fautores, adjutores, consiliarios, adhaerentes, vel alias quoscumque praedictarum rerum exequitionem quolibet praetextu et quovis modo procurantes vel per seipsos exequentes, majorem excommunicationem, aliasque cen-

suras et poenas ecclesiasticas a sacris Canonibus, Apostolicis Constitutionibus et generalium Conciliorum, Tridentini praesertim (sess. XXII cap. XI de reform.) Decretis inflictas incurrisse juxta formam et tenorem expressum in superius commemoratis Apostolicis Literis nostris die 26 Martii anni 1860 datis."

Jam vero, quod ad canonem seu Articulam supra descriptum attinet, in eo tres partes distinguuntur:

In prima, a verbo „Invadentes — pertinentia”, tria prae caeteris attendenda sunt. 1º Ibidem tres actiones, disjunctive sumptas, (uti patet ex fine et subjecta materia), sub poena excommunicacionis R. Pontifici speciali modo reservatae prohiberi: a) *invasionem*, seu injustam ac violentam aggressionem. „Invadere terras Romanae Ecclesiae, inquit Castro Palao *de Cens. Disp. III* punct. 21 n. 5, est in eas irruere, seu cum impetu aggredi, quod proprium est hostium; ideoque Suarez, Fillieius, Hugolinus et alii requirunt hostilem incursum.” Necesse tamen non est, ut res bene cedat; vera enim invasio committitur, licet aggressores repulsam patientur. Similiter necesse non est, ut locus aut civitas armata vi capiatur; vera invasio adesse potest, quin irruentibus seu cum impetu aggredientibus resistatur, et hoc quidem sensu cum Bonacina (*de Cens. in part. Disp. I q. XXI p. I n. 3*) vere dici potest: „invadere idem esse ac injuste aggredi, etiamsi hostiliter id non fiat.” b) *Destructionem*, seu injustam demolitionem, unius etiam loci vel oppidi tantum. Id quod in Bulla *Coenae* explicite additum erat, np. „in totum vel in partem”; hoc ipsum in Const. Pii IX impli- cite continetur: in utroque enim casu vera destructio adest. c) *Detentionem*, seu voluntariam ac culpabilem restitutionis omissionem, etiam ex parte eorum, qui non ipsi terras aut loca invaserint, sed ea mediate, tanquam haeredes, legatarii, donatarii, etc. possident, aut alio inani ac futili titulo, puta populi suffragiis seu votis, retinere prae sumunt. Quum nullus plus juris in alium transferre pos sit, quam ipse habet, illi omnes (secluso alio legitimo titulo) *detinuentium* nomine vere ac proprie comprehenduntur. — 2º Ob praedictas actiones excommunicationem contrahi ab iis, qui immediate *per se*, vel mediate *per alios*, puta exercitum mittendo, cives sub ornando, etc. talia facere prae sumpserint. Quin immo, etsi verba „directe vel indirecete, sub quocumque titulo, vel colore”, quae in Bulla *Coenae* apposita erant, hic omittantur; putandum tamen

non est, eapropter sensum aut tenorem praesentis Constitutionis restrictum esse. Particulae istac ibidem explicationis gratia solum adjectae erant, cfr Bonacina l. c. n. 5, consequenter juxta formam recentis Constitutionis illi pariter perstringuntur qui similia per se aut per alios quaesito quodam colore aut titulo, v. g. progressus, civilisationis, aspirationis popularis, plebisciti, etc. condecorare adnituntur.— 3º Praefatas actiones in ratione objecti versari debere circa „Civitates, Terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia”: h. e. quae eidem sive Romano Pontifici seu Principi temporali jure reali propria aut debita sunt. Dicitur autem in textu „ad Ecclesiam Romanam”, ut significetur, perinde esse, sive similia committantur vivente Pontifice, sive vacante Sede Apostolica.

In secunda parte, a verbo „vel usurpantes — in eis”, tres quoque actiones, disjunctive acceptae, excommunicationis gladio perstringuntur: nimirum *usurpatio*, cuius significatio superius Art. XI fuit exposita; — *perturbatio*, seu impedimenti apposito; — et *retentio* seu *detentio*, de qua in superiori parte fuit dictum; haec enim duo idem sonant. In ratione objecti sermo hic est de sola *Suprema Jurisdictione*, quam scil. R. Pontifex, ut Princeps temporalis, adinstar aliorum Principum, in sua ditione independenter gerit, aut saltem de jure gerere potest ac debet. Cfr Bonacina l. c. n. 16. Patet igitur ob crimina in hac parte recensita, excommunicationem incurri posse, licet Civitates, Terra, loca aut jura (de quibus in prima parte) Romanae Ecclesiae non plenarie eripiantur aut subtrahantur. Quotiescumque, salvo etiam illorum dominio, suprema jurisdictione in eis injuste, seu invita Sede Apostolica, usurpatur, perturbatur, aut retinetur, adest casus, qui heic punitur. Utrum ob haec delicta etiam illi censura affieantur, qui *per alios* sic egerint: id quidem in textu explicite non dicitur. Putamus vero, verba „per se vel per alios”, quae in prima parte leguntur, pari modo caeteris actionibus, de quibus in secunda sermo est applicanda esse; quemadmodum interpres Bullae *Coenae*, ubi eadem dubitandi ratio moveri poterat, asseveranter affirmant. Cfr Bonacina l. c. n. 5. Tanto magis sic tenendum videtur, quod caeteroquin adjutores, consilarii, et fautores, de quibus mox verba fient, deterioris conditionis forent, quam illi qui per alios, forte etiam jussione seu mandato, agunt, et qua tales modo magis efficaci ad crimina ista concurrunt.

In tertia parte, a verbo „nec non — praebentes”, tres cooperatorum classes excommunicatione plectuntur: videlicet qui ad unam, alteramve actionem in prima et secunda parte descriptam, *auxilium*, *consilium* aut *favorem* praebuerint. Quid istis cooperandi modis intelligatur, supra Art. IV sub 4^o declaratum fuit. Quocirca satis erit, hic duo aut tria adnotare: 1^o ob hujusmodi cooperationem, utpote secundarie solum prohibitam, poenam haud incurri, si forsan actio principalis, quo etiam motivo aut ratione, non fuerit executioni data. Vide Bonacina l. c. n. 29. — 2^o Ad contrahendam poenam requiri aut supponi *formalem* cooperationem, quae non fit ex metu aut ignorantia, sed deliberata voluntate. „Censuras ecclesiasticas, sic dicitur in Resp. S. Poenitentiariae de die 10 Dec. 1860, incurri ab iis qui formaliter cooperantur rebellioni ditionis Pontificiae. Quare ad dignoscendum in Foro conscientiae, utrum quis censuras incurrerit, discutienda est per confessarium uniuscujusque conscientia.” Vide Avanzini in *Comment.* p. 83 seq. — 3^o Praeter „auxilium, consilium, favorem praebentes”, de quibus hic Articulus solum loquitur, in documentis a principio allegatis, commemorari etiam *adhaerentes*, qui np. ad praefata delicta, non sicut illi positive concurrunt, sed tamen ea interne et externe approbant, seu parati sunt ad singula eorum auxilium, consilium aut favorem praebere, tametsi de facto non praebuerint. Cfr Bonacina l. c. n. 26. 27; item Castro Palao *de Cens. Disp.* III p. XXI n. 10. Quaeri ideo potest: an ejusmodi *adhaerentes* in tertia parte hujus Articuli pari modo excommunicatione feriantur? Opinantur auctores Ephemeridum *Nouv. Rev. Théol.* T. IV p. 139, Const. *Apostolicae Sedis* interpretandam esse secundum praedictas Litteras Apostolicas, atque adeo etiam *adhaerentes* subjacere excommunicationi R. Pontifici *speciali modo* reservatae. „En declarant, ita scribunt l. c., dans l’Encyclique du premier Novembre 1870, que les *adhérents* encourrent l’excommunication, conformément aux Lettres Apostoliques du 26 mars 1860, le Souverain Pontife nous montre évidemment qu’il donne à la Constitution *Apostolicae Sedis* la même portée qu’aux Lettres Apostoliques du 26 mars 1860. C’est donc d’après celles-ci qu’il faut interpreter la première.” Consequentiam hanc, ut verum fatear, non perspicio. Certè, cum Litterae Encyclicheae 1 Nov. 1870 sint posterioris dati quam Constitutio *Apostolicae Sedis*, Litterae istae, atque omnia quae in iis instaurantur

aut renovantur — adeoque et Litterae Apostolicae 26 Martii 1860 — etiam hodie vim ac robur habent; at verò quod juxta illas interpretanda sit Constitutio *Apostolicae Sedis*, id nullibi dicitur, nec logice inde deduci potest. Arbitramur igitur cum cl. Avanzini (*Comment.* p. 84) *adhaerentes* sub Articulo, de quo agimus, non comprehendti, nec poenâ illius affici. Vigent sane ob rationem modo datam pro ipsis Litterae Apostolicae anni 1860 unâ cum poenis, praesertim excommunicationis, cui subjacere declarantur, ac de novo, si opus est, subjiciuntur; haec tamen censura non speciali modo, ast simpliciter tantum R. Pontifici reservatur ibidem.

Nota. Praeter poenam, quae hoc et superiori Art. XI in tutiōnem seu defensionem bonorū ecclesiasticorum statuta legitur, duae aliae juris dispositiones, pari motivo factae, prae caeteris notandae sunt: videlicet ea, de qua inferius Tit. IV Art. III agitur; item illa, de qua sermo est in Conc. Trid. Sess. XXII de ref. cap. XI.

Post casus duodecim supra relatos et expositos Constitutio prosequitur in hunc modum:

„A quibus omnibus excommunicationibus huc usque recentis solutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari; et pro ea generalem concessiōnem absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earumdem respectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint.”

In hoc epilogo, quo explicit Tit. I hujus Constitutionis, tria quoad casus in eo recensitos decernuntur: 1^o Pro absolutione a praefatis excommunicationibus, utpote R. Pontifici *speciali modo* reservatis,

generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris R. Pontifici reservatis nullo pacto sufficere; revocatis insuper earumdem respectu quibuscumque indultis etc. 2º Illos qui sine debita facultate a praefatis casibus extra mortis articulum absolvere prae sumpserint, excommunicationis vinculo R. Pontifici reservatae ipso facto innodari. 3º Iis, qui in mortis articulo sine speciali facultate fuerint absoluti, incumbere obligationem standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint.

Quod ad 1º attinet, sequentia animadvertis, velim. a) „In generali concessione, uti habet reg. 81 juris in 6º, non venire ea, quae quis non esset verisimiliter in specie concessurus.” Itaque quod primo loco edicitur de insufficientia generalis concessionis, ut quis a casibus istis rite absolvat, nihil novi continet, sed mera declaratio aut applicatio est generalis principii in materia absolutionis communiter admissi. Cfr *Responsa ad Quaestiones* anni 1871 p. 147 seq. b) Revocationem quorumecumque indultorum, excommunicationum illarum respectu antea concessorum, in sua generalitate completi omnes facultates, tum *reales*, seu rei, puta Ordini, Instituto, Officio aut Dignitati annexas, tum *personales* seu personae attributas. Constat tamen ex speciali declaratione S. D. N. Pii IX, die 12 Jan. 1870 oretenus data, et dein per S. Cong. *de prop. fide* longe lateque vulgata, mentem S. Pontificis non fuisse detrimentum inferre facultatibus *personalibus*, quae a S. Sede sive Episcopis sive confessariis ante promulgationem hujus Constitutionis *ad certum tempus* concessae fuerant. „Per Constitutionem, sic dicitur ibidem, SSmus Pater nullatenus intendit, ne minimum quidem, detrimentum inferre facultatibus enjuscumque indolis, quae a S. Sede ante promulgationem ejusdem Constitutionis concessae fuerint, sive hae quinquennales sint, sive extraordinariae, sive respicientes praesens jubilaeum; atque vult, ut in suo pleno vigore permaneant, tempore perdurante in dictis concessionibus sive indultis *prae finito*.” Similis Declaratio — quam hic inserere lubet — eodem pene tempore data fuit quoad facultates Illmis ac Revmis Episcopis Provinciae Nostrae ecclesiasticae antea concessas. Est ea tenoris sequentis:

Ex aedibus S. C. de Panda Fide

21 Januarii 1870.

Infrascriptus S. Cgnis de Panda Fide Secretarius Ampl. Tuæ significare non intermittit quod relatis SSmo Dno Nro quae tuis

literis die 6 vertentis relate ad Constitutionem *Apostolicae Sedis moderationi* continebantur, Sanctitas Sua benigniter declarare dignata est, se per eamdem Constitutionem eo nullatenus spectasse, ut facultates sive quinquennales sive extraordinarias aut quacumque alia ratione Episcopis concessas revocaret: ino adjectit se velle ut praedictae omnes facultates usque ad terminum relativis Rescriptis praefinitum in suo pleno vigore permaneant.

Interim omni cum observantia et reverentia manet

Ampl. Tuae

R. P. D. ANDREAE IGNATIO SCHAEPMAN,

Archiepiscopo Ultrajectensi.

Cum originali concordat

† J., *Arch.-Ep. Busc.*

Humillimus et addictissimus famulus

(Sign.) JOANNES SIMEONI *Secrarius.*

c) Etiamnum, elapo scil. tempore anterioribus concessionibus praefinito, a S. Sede impertiri solere necessariam facultatem absolvendi a censuris in Constitutione, de qua agimus, etiam *speciali modo* reservatis. Inter facultates, quibus in praesenti Ordinarius Dioecesis nostraræ ex audiencia SSmi diei 13 Jan. 1878 ad quinquennium a die praefato supputandum, cum facultate etiam subdelegandi, instructus fuit, rei istius respectu sub 10^o ita legitur: „absolvendi ab omnibus censuris, etiam speciali modo in Bulla = *Apostolicae Sedis moderationi* = diei 12 Octobris 1869, Romano Pontifici reservatis, excepta absolutione complicis in peccato turpi.” — Ut pateat, an et quatenus Confessariis pro nostra Dioecesi approbatis fas sit absolvere ab hujusmodi censuris, adscribere lubet Statutum, quod nuper ab Ordinario loci in Congregacione Pastorum die 29 Aprilis anni 1879 quoad absolutionem a casibus reservatis evulgatum fuit. Statutum istud est tenoris sequentis:

„Ut ea, quae *absolutionem a casibus reservatis* concernunt — qua in re non levis ambiguitas, forte etiam quaedam enormitas in praesenti existit — comperta magis habeantur, revocatis iis quae jam pridem in Litteris circularibus 11 Junii 1867 n^o II, item in *Communicandis* anni 1873 n^o VII pag. 6 aliter constituta seu indulta erant, haec quae sequuntur statuenda ac declaranda duximus, prout hisce statuimus ac declaramus:

1^o Parochi caeterique ecclesiarum Rectores, nisi forte aliud in casu particulari expressum sit, ex mente nostra — potestate nem-

pe, quam jure proprio aut delegato per praesentes confirmamus aut de novo conferimus — absolvere possunt ab omnibus peccatis et censuris sive Summo Pontifici sive Nobis reservatis, etiam ab haeresi et abortu Nobis specialiter reservatis, ab iis quoque censuris quae in Constit. Pii IX *Apostolicae Sedis* 12 Octobris 1869 Summo Pontifici speciali modo reservantur. Excipitur tamen absolutio complicis in peccato turpi cum caeteris casibus in Bulla Bened. XIV *Sacramentum Poenitentiae* S. Pontifici *speciali modo* reservatis. Excipiuntur quoque censurae *ab homine particulariter* latae, aut alias (extra casus superius indultos) sive S. Pontifici sive Nobis *specialiter* reservatae.

2º Pari potestate, quantum ad casus reservatos, instructi censentur Sacerdotes illi, quibus rei istius respectu, Parochorum instar, generalis quaedam facultas vi litterarum institutionis aut jurisdictionis competit seu asserta est.

3º Pro reliquis vero Sacerdotibus, Sacellanis nempe, Assistantibus et aliis, quibus jurisdictonem definito magis modo attribui consuevit, praeter casus a Parochorum potestate exceptos duo alia causarum genera in posterum excepta volumus: nimirum omnes et singulas censuras, quae in Const. Pii IX *Apostolicae Sedis* Summo Pontifici *speciali modo* reservantur; item decem graviora crimina, quae ad normam Synodi Dioec. cap. XIII Episcopo reservantur et reservata declarantur.

Porro quod in Synodo Dioec. l. c. pag. 47 de casibus *Episcopilibus* nominatim edicitur, eos np. intelligendos esse sub limitationibus ibidem litt. a—h appositis, illud ipsum praememoratis censuris Pontificiis, seu primo causarum generi, pari modo applicari volumus. Non tamen intendimus ad censuras illas extendere aliud indulsum, quod relate ad casus Episcopales Sacellanis et Assistantibus impertiri solet, absolvendi scilicet ad decem vices a peccatis istis."

d) Quamvis pro absolutione a praedictis excommunicationibus generalis concessio, absolvendi a casibus et censuris R. Pontifici reservatis, haud sufficiat, nihil tamen vetare, quominus Episcopi, aut alii etiam confessarii, quandoque — intercedente scil. *gravi* causa, adeo ut superior adiri nequeat sine scandalo, aut nota infamiae, vel etiam sine magna difficultate; et ex alia parte urgeat necessitas communicandi, vel implendi praeceptum annuae confessionis, ant ne diu poenitens maneat in peccato mortali — a casibus istis,

(deimpto tamen verisimiliter casu complicis in peccato turpi, cfr dicta Art. X circa finem) etiam extra mortis articulum, *indirecte* absolvant, hac tamen lege, ut sic absolutus ob temporale impedimentum, illo sublatu, se quamprimum sistat superiori aut alteri sacerdoti habenti facultatem a reservatis illis directe absolvendi. Vide *Responsa ad Quaestiones* anni 1871 p. 151 sub 3^o.

Executio praememoratae obligationis regulariter sat facilis est, ubi agitur de censuris quae solummodo in Const. *Apostolicae Sedis* speciali modo reservantur: non desunt quippe confessarii qui ab iis *directe* absolvere queunt; poterit etiam a quovis Confessario necessaria facultas ab Ordinario peti. Verum ubi sermo est de excommunicatione quam contraxit sacerdos propter absolutionem complicis in peccato turpi, utpote quae etiam *alibi* S. Pontifici speciali modo est reservata, res magis ardua est, nec aliud superest medium, quam ut reus se sistat S. Pontifici, vel ut ab ipso facultas absolvendi humiliter imploretur pro hujusmodi casu particulari.

Quoad 2^{um} attendas: a) Excommunicationis vinculum, quo ipso facto innodari dicuntur qui a praedictis casibus sine debita facultate extra mortis articulum absolvere praesumunt, R. Pontifici *simpliciter* reservari; adeoque excommunicationes *sic* reservatas, de quibus sequenti Titulo verba fiunt, non esse septemdecim, sed duodeviginti. b) Per absolutionem sub praefata poena hic prohibitam intelligi eam, quae non solum *indirecte* impertitur (hoc enim juxta superius dicta quandoque, etiam extra mortis articulum, licite fieri potest); sed quae, seposito tali periculo, sine debita facultate *directe* attentatur. c) Hujusmodi absolutionis attentionem, ut ea propter excommunicationis poena contrahatur, scienter ac temere committendam esse; dicitur enim in textu: „absolvere . . . prae-sumentes.” atque adeo censuram istam non incurri ab iis, qui ex metu gravi, aut ignorantia, etiam crassa aut supina, sic egerint. Cfr Dens de *Cens.* in *gen.* n. 7—9.

Quantum ad 3^{um} observa, Statuto illo inculcari quod alibi in jure sancitur de censurarum absolutione in mortis articulo ab eo data, qui alioquin facultate caret. „Eos qui (sic legitur cap. 22 de sent. *excomm.* in 6^o) a sententia canonis vel hominis, quum ad illum, a quo alias de jure fuerant absolvendi, nequeant propter imminentis mortis articulum aut aliud impedimentum legitimum pro absolutionis beneficio habere recursum, ab alio absolvuntur; si ces-

sante postea periculo vel impedimento hujusmodi se illi, a quo his cessantibus absolvvi debebant, quam cito commode poterunt, contempserint praesentare, mandatum ipsius super illis, pro quibus excommunicati fuerant, humiliter recepturi et satisfacturi, prout justitia suadebit; decernimus, ne sic censurae illudant ecclesiasticae, in eamdem sententiam recidere ipso jure." Videri hic possunt *Responsa anni 1871 p. 150.*

Titulus II.

Excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici reservatae.

„Excommunicationi latae sententiae Romano Pontifici reservatae (scil. simpliciter seu ordinario modo tantum) subjace declaramus:

ART. I.

„Docentes vel defendantes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicatio-
nis poena latae sententiae, item docentes vel defendantes tamquam licitam proxim inquirendi a poenitente nomen complices, prouti damnata est a Benedicto XIV in Const. *Suprema*
7 Julii 1745; *Ubi primum* 2 Julii 1746; *Ad eradicandum*
28 Septembris 1746.”

In prima parte hujus canonis, a verbo „docentes — sententiae,” tria exiguntur aut supponuntur, ut ex capite illo memorata censura contrahatur. 1º Ut quis censurae capax, quicumque ille fuerit, „sive publice” v. g. coram numero auditório, „sive privatim” puta coram uno aut alio tantum, propositiones damnatas (etiam unam tantum) verbis aut scriptis aliōmodo *doceat vel defendat*. Quapropter si forte aliquis tali propositioni interne solum adhaereat, vel etiam externe faciat, quod in ea prohibetur, ob hujusmodi agendi rationem, etsi graviter culpandam, non censetur poena ista affici: ratio est, quod sic agentes stricto sensu dici nequeant *docentes* vel

defendentes. Pari de causa etiam illi, qui librum, in quo continentur tales propositiones, legunt, retinent aut imprimunt, poena *hujus* canonis non censentur attingi. 2º Ut propositio, quam docere aut defendere quis praesumit, damnata sit ab *Apostolica Sede*, h. e. a Rom. Pontifice pro tempore existente. Non sufficit igitur damnatio ab Episcopo prolata; imo nec ea, quae a SS. Congr. Rom. propria auctoritate pronuntiata fuit. *Propria auctoritate*, inquam: dum enim, uti quandoque contingit, ab iis de mandato S. Pontificis proceditur, nihil deesse videtur, quominus damnatio sic facta Sedi Apostolicae vero sensu attribuatur. Cfr *Nouv. Rev. Théol.* T. IV p. 470. 3º Ut praefata damnatio a Sede Apost. facta sit *sub excommunicationis poena latae sententiae*. Itaque si quis propositionem a R. Pontifice *aliter* damnatam (notum quippe et pervulgatum est, plures propositiones doctrinae catholicae plus minus adversas ab Ecclesia variis modis aut notis condemnari solere) doceret vel defenderet, gravi certe peccato sese commacularet (cfr *Responsa* p. 195); attamen poena *hujus* canonis non feriretur.

Haec cum ita sint, id quod S. Ligorio L. VII n. 218 in fine, et cum eo P. Gury in sua *Theol.* T. II n. 974 generatim tradunt ac docent — nimurum „docentes aut defendentes etiam disputative propositiones damnatas” incurrire excommunicationem Papae reservatam — hodie in sua generalitate admitti nequit. Praeterea, quum Sedes Apostolica quandoque, non ipsas propositiones, sed librum, in quo continentur, damnet sub excommunicationis poena latae sententiae, quaeri insuper potest: utrum istiusmodi damnatio satis sit, ut ipsae etiam propositiones in eo contentae sub praefata censura censeantur damnatae, et consequenter ob illarum doctrinam aut defensionem poena ista vere incurritur? R. Cum auctore operis *Acta apud Sanctam Sedem* T. VI append. III p. 162 seq. „ejusmodi damnatae propositiones non videntur comprehendendi sub Articulo de quo agimus: namque illae doctrinae et propositiones . . . non sunt immediate et directe damnatae sub poena excommunicationis: sed damnati sunt libri sub poena excommunicationis propter eas doctrinas et propositiones.” Aliis verbis, non ve- rificatur statutum seu tenor praesentis Articuli.

N. B. Etsi poena *hujus* canonis haud incurritur, quoties vel una conditio ex supra enumeratis defecerit; saepe tamen numero ob ejusmodi temeritatem alia contrahetur censura alibi in hac ipsa

Const. lata aut proposita: e. g. si quis baptizatus propositionem, ab Ecclesia etiam sine ulla censura tamquam *haereticam* damnata-
tam, cum errore intellectus et animi pertinacia docere aut defen-
dere praesumeret, eo ipso *haereticus* foret, et qua talis (caeteris
suppositis) non effugeret excommunicationem R. Pontifici speciali
modo reservatam. Vide supra Tit. I Art. I. Pari modo, qui pro-
positiones ab Apostolica Sede damnatas etc. non docent aut defen-
dunt; sed legunt in libris, de quibus Tit. I Art. II sermo est, ob
talem lectionem (positis ponendis) innodarentur excommunicatione
ibidem infleta. Et sic in caeteris.

In altera hujus Articuli parte, a verbo „item etc.”, tria quoque supponuntur, ut ideo excommunicationis poena incurratur. 1º Ut quis censurae capax talem inquirendi praxim *doceat vel defendat*. Itaque licet complicis inquisitio, qua nempe non mera ejusdem *qua-
litas* (hoc enim fieri potest ac debet, in quantum necessarium est
ad confessionis integritatem procurandam), sed *nomen* seu persona
indiscrete petitur, regulariter severe prohibita sit, quemadmodum
in Syn. Dioec. Busc. p. 49 cum Bened. XIV edicitur; illa tamen qua
tal is praefata poena non plectitur. 2º Ut ejusmodi praxim *tanquam
licitam* doceat vel defendat. Quare a dicta censura immunis quoque
esset, qui v. g. contendaret, ejusmodi praxim, etsi illicitam, a gravi
peccato excusari posse. 3º Ut tanquam licitam doceat vel defendat
inquirendi praxim, *prouti damnata est a Benedicto XIV* in citatis
Constitutionibus. Videndum igitur, *quae aut qualis* praxis ibidem
prohibita sit. Jam vero in Const. *Suprema* — relato prius, quomodo
quidam confessarii in Regno Lusitaniae, falsa zeli imagine seducti,
perversam ac perniciosa praxim in audiendis Christifidelium con-
fessionibus inducere coepissent: „ut videlicet, si forte in poenitenti-
bus socium hujusmodi, seu complicis nomen *passim* inquirerent;
atque ad illud revelandum non inducere modò suadendo conaren-
tur; sed quod detestabilius est, *denuntiata* quoque, nisi revelarent,
absolutionis sacramentalis *negatione*, prorsus adigerent atque com-
pellerent” — praefatus Pontifex sic decernit: „Notum vobis esse
volumus, memoratam superius praxim penitus reprobandum esse,
eandem a Nobis per praesentes nostras in forma Brevis litteras re-
probari atque damnari tamquam scandalosam et perniciosa, ac tam
famae proximorum, quam ipsi etiam Sacramento injuriosam, ten-

dentemque ad sacrosancti sigilli sacramentalis violationem, atque ab ejusmodi Poenitentiae Sacramenti tantopere proficio et necessario usu abalienantem.” In Const. *Ubi primum*, idem Pontifex, confirmata priore Constitutione, inter alia haec edixit: „Statuentes ac decernentes, ut quicumque . . . ausus in posterum fuerit docere licitam esse ejusmodi praxim prout ea in relato nostro Brevi exponitur ac reprobatur; vel scribere aut loqui praesumpserit in ejusdem damnatae praxis defensionem, vel ea, quae in dicto Brevi contra eandem praxim decreta sunt, impugnare aut in alienos sensus temere detorquere seu interpretari, incidat ipso facto in excommunicationem, a qua non possit, praeterquam in articulo mortis, ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente vel auctoritate suffulto, nisi a Nobis, vel pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.” Tandem in Const. *Ad eradicandum* idem Pontifex, illorum redarguens opinionem, qui docerent praefatas duas Constitutiones ultra Lusitaniae regnum haud protendi, ita statuit: „Decernimus et declaramus, memoratam praxim in se ipsa et ubique locorum ac temporum Apostolica auctoritate reprobatam atque damnatam esse et censeri debere.” — Ex hisce Constitutionibus in aprico est, praxim inquirendi a poenitente nomen complicis prout damnata est a Bened. XIV, eam esse, qua nomen complicis a poenitentibus *passim* inquiritur, ejusdemque revelatio ab iis *sub denuntiata absolutionis negatione* exigitur.

Quod cum ita sit, a contrario inde inferre licet, sub 2^a parte Articuli supra relati non comprehendi eos, qui docerent vel defenserent complicis inquisitionem, *non* denuntiata absolutionis negatione, in Sacramento Poenitentiae licitam esse; mala certe est ac improbanda haec etiam praxis; non tamen illa est quam Bened. XIV sub poena excommunicationis R. Pontifici reservatae prohibet. Nec eos, qui docerent vel defenserent, praxim inquirendi a poenitente nomen complicis *quandoque* esse licitam, puta in easu gravis damni, quod solus confessarius avertere possit; vel in easu confessarii sollicitantis ad turpia, si forte persona sollicitata ejusdem denuntiationem non nisi per confessarium suum exequi vellet. Enimvero, quamvis complicis inquisitio etiam in casibus istis probanda non sit, uti S. Alphonsus de Ligorio L. VI n. 492 et 699 contra alios docet, dici tamen nequit, eum, qui talia tuetur, docere vel defendere praxim prout damnata est a Bened. XIV. Advertendum denique est, quod memoratus Pontifex excommunicationis senten-

tiam in illum tantum proferat, qui praxim supra descriptam licitam esse docere „ausus fuerit”, vel in ejusdem defensionem scribere aut loqui „praesumpserit.” Quocirca, quum hac in re a S. D. N. Pio IX nihil novi decerni, sed Constitutiones Benedictinae mere instaurari videantur, dicendum puto, in praesenti Const. idem implicite supponi, atque adeo a poena addita eximere omnem ignorantiam, etiam solius poenae, dummodo affectata non fuerit,

ART. II.

„Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in Clericos, vel utriusque sexus Monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus jure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat.”

Hoc Articulo continetur ac renovatur celeberrimum clericorum privilegium, per antonomasiam *Canonis* appellatum a canone XV Conc. Lat. II, ubi sic statuitur: „si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrit, quod in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vineculo subjaceat, et nullus Episcoporum illum praesumat absolvere (nisi mortis urgente periculo) donec Apostolico aspectui praesentetur, et ejus mandatum suscipiat.”

Veterem hunc canonem tum RR. Pontifices in posterioribus Decretis, tum Canonistae ac Theologi in suis commentariis ampla ratione interpretati sunt (vide inter alios S. Alph. de Ligorio L. VII n. 264—275. P. Pauwels *de cas. res.* T. II p. II cap. 2. Theol. Mechl. *de cas. reserv.* n. 8). Articulum supra descriptum pari modo interpretandum esse, non videtur ambigendum: enimvero, licet SS. D. N. Pius IX bac sua Constit. plures censuras latae sententiae, ipsoque facto incurrendas, aut abrogarit, aut limitarit, aut alias immutarit, nihil tamen novi constituit circa *interpretationem* earum quas ex integro sanciendas duxit, prout supra in Prooemium hujus Constitutionis sub 4^o adnotatum fuit; atqui in praesenti Articulo veteris *canonis* excommunicatio iisdem fere verbis, aut certe substantia tenuis ex integro sancitur, ergo etc. Praeterea vel in textu hujus Artieuli non desunt, quae argumentum istud confirmant: ipsa met exceptio ibidem apposita „quoad reservationem” excommunicationis contraetae, satis indicat, hujus Artieuli interpretationem eamdem esse, quae jam facta reperitur. Cfr Avanzini *Comment.* p. 87.

Itaque quod ad primam Articuli hujus partem attinet — quinam np. ob violentam manuum injectionem in Clericum aut Monachum excommunicationis vinculo de jure innodentur — rei illius tractatione hoc loco supersederi potest. Materia ista alibi in praelectionibus Theologicis et Canonicis ex professo expendi consuevit. (de *Poenit.* n. 227. et *Soglia Inst. jur.* p. III § 71).

Quantum ad alteram Articuli partem — sive limitationem ibidem adjectam *quod reservationem* praedictae excommunicationis — satis erit casus et personas, „de quibus jure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut aliis absolvat,” hie summarie indicare. Etiam hac de re alibi amplioribus verbis disseri solet. Casus isti sunt numero quinque, quorum tres priores Clerici aut Monachi percussione cum caeteris causis R. Pontifici reservatis communes sunt; duo reliqui peccati istius proprii sunt. 1^{us} est, mortis articulus. „Ne hac ipsa occasione, sic dicitur in Conc. Trid. sess. XIV cap. 7, aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque adeo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt.” (De hoc casu plura videri possunt in *Responsis* p. 149 seq). — 2^{us} Si Clerici aut Monachi percussio sit *occulta*. „Liceat Episcopis, ita habet Trid. sess. XXIV cap. 6 de ref., in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes quosecumque sibi subditos, in Dioecesi sua per seipson, aut vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiae gratis absolvere, imposita poenitentia salutari.” (De hac re vide plura in clausula finali hujus Constitutionis a V^o *Firmam tamen etc.*) 3^{us} Si memorata percussio, licet publica, patrata sit ab impubere, sene, paupere, muliere, aut alia persona legitime impedita, quominus pro absolutionis beneficio R. Pontificem, ejusve Legatum, personaliter audeat. Confer *de sent. excomm.* cap. 13. 29. 58 et alia, ex quibus DD. communis calculo deducunt, hujusmodi personas ab Episcopo per se aut per alium legitime absolvii posse; hac tamen lege, ut sic absoluti (exceptis pueris) propter impedimentum temporale tantum, illo cessante, sub poena reincidentiae se quamprimum Sedi Apostolicae sistere teneantur, mandatum ejus humiliter suscepturi. Cfr Ligorio L. VII n. 84—89 et n. 276. Dens *de Poenit.* n. 232. Item Theol. Mechl. *de cas. reserv.* n. 22. et alios. — 4^{us} Quando Clerici aut Monachi percussio, etsi morta-

liter mala ac publica, prudentum judicio *modica* et *levis* reputatur comparatione facta cum enormi aut gravi ejusmodi percussione. „De his absolvendis (sic legitur in cap. *Pervenit 17 de sent. excomm.*) qui clericis non enormem, sed modicam et levem injuriam irrogant, tuae fraternitatis arbitrio duximus committendum.” Potest igitur Episcopus per se aut per alium etiam tali in casu absolutio nem impertiri. Cfr Ligorio L. VII n. 276—279; item Dens *de Poenit.* n. 227 in fine. — Tandem 5^{us}, licet etiam Clerici aut Monachi percussio fuisset gravis et publica, non tamen *enormis* censemur (cfr Ligorio l.c. n. 279), poterit ea juxta cap. *Quoniam 9 de vita et hon. cler.* regulariter ab Episcopo per se aut per alium absolviri, ubi agitur de personis collegialiter viventibus. „Indulgemus etiam (sic dicitur ibidem) ut si quisquam eorum, qui simul vivunt, pro manus injectione in solum a communione metuerit fieri alienus, reconciliandi et poenitentiam imponendi potestatem plenariam habeatis, nisi forte atrocitas facti poenam graviorem exspectet.”

Nota. An et quatenus Praelati regulares jure aut privilegio absolvere queant subditos suos a praefata excommunicatione, videsis penes S. Alph. de Ligorio L. VII n. 107.

ART. III.

„Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.”

Quid sit duellum et quotplex distinguatur; — in quo consistat ejusdem malitia; — quot et quae poenae huic criminis generatim annexae sint; — haec et alia id genus plura in tractatu de *jur. et just.* n. 132. 133 traduntur et exponuntur. Hoc loco de poena *excommunicationis* solum agitur. Et quaeritur: quinam ad tramites praefati Articuli ob ejusmodi enormitatem excommunicatione Pontifici reservata perstringantur? Poenam hanc — jam dum quasi per gradus inductam cfr Giraldi *Expos. Jur. Pont.* p. 1068 seq.— incurront: 1^o „Duellum perpetrantes, aut simplici-

ter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes.” Vox *duellum* in sua latitudine complectitur quocumque duelli genus, etiam simplex seu non solemne, dummodo verum ac proprie dictum duellum fuerit. Nec opus quidem est, ut hujusmodi certamen re et opera committatur; nam, prout sequentibus verbis edocemur, poenae hujus canonis subjacent non solum *perpetrantes*, sed et *acceptantes*, quin scil. pugna subsequatur; imo et *provocantes*, quin vel rei propositae acceptio ab altera parte accedat.

2º „Quilibet complices, vel qualecumque operam aut favorem praebentes.” Verbis istis designantur: a) Duellantum patrini aut testes, caeterique criminis socii. b) Eorumdem adjutores ac fautores, *operam* seu adjumentum materiale, aut *favorem* seu commodum quodvis pro tutiori et faciliori sceleris executione *praebentes*, effectu etiam non secuto, „si per ipsos non stetit, ne pugna sequatur”, uti ait Greg. XIII in Const. *Ad tollendum*. Censura de qua agimus, ex communis doctrina duellantibus eorumque adjutores aut fautores *aeque principaliter* afficit: et hoc quidem motivo non nulli arbitrantur, eamdem a cooperantibus incurri, licet illorum opera aut favor in ipsum duellum vere et efficaciter non influat. Hoc tamen cum aliis fundate negari potest: deficiente quippe vero influxu, deficit et vera cooperatio. Praesenti in casu haud improbabiliter applicari poterit, quod Salmanticensis *de Cens.* cap. I n. 147 hac de re universim docent: „minime incurrere censuram latam contra mandantes aut consulentes, qui solum simplex mandatum aut consilium dedit ei, qui erat jam determinatus opus exequi, nec ullo modo auxit ejus voluntatem.” Vide etiam Bonacina *de Cens. in part.* Disp. II q. III p. 48 n. 28; item Ligorio L. VII n. 38. 39.

3º „De industria spectantes”, h. e. qui sua praesentia et visione ipsos duellantibus ad pugnam excitare censemur. Illi enim qui a longe aut secreto solum spectant, vel obiter et casu transeuntes ex curiositate respiciunt, et alii hujusmodi, spectatione sua ad ineundam vel acuendam pugnam nihil conferentes, praefata poena non attinguntur. Luc. Ferraris V. *Duellum* art. II n. 9. 10; item Ligorio L. VII n. 220.

4º „Permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.” Horum denominatione, prout ex Const. Clem. VIII *Illiis rices* § 5 colligere est, non intelliguntur quivis permittentes vel non prohibentes,

sed locorum Domini, Magistratus, Praesides, Locumtenentes, Duces militum et Capitanei, verbo: personae auctoritate publica gaudentes, quae duellum culpabiliter permittunt, vel pro officio, quantum in illis est, non prohibent. Cfr Bonacina l. c. n. 24. 25; item Lue. Ferr. l. c. n. 11.

In citata Const. Clem. VIII post verba: „permittentes, vel, quantum in illis est, non prohibentes”, immediate sequitur: „aut post commissum crimen veniam et impunitatem concedentes”; quia vero verba ista in Const. Pii IX omissa sunt, ob hujusmodi concessionem non videntur amplius excommunicatione feriri. — Quantum ad clausulam in posteriori Const. additam: „eujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis”: ea quidem duplii de causa adjecta videtur. Primo ob errorem grassantem nuper in *Syllabo* pp. LIV solemniter proscriptam: ne scilicet Reges et Principes specioso dignitatis suae titulo, aut alio quaesito colore, ab Ecclesiae jurisdictione, atque adeo a censura ista, se exemptos declarant. Secundo quod tales personae multorum judicio in rebus odiosis ac poenalibus non comprehendantur, nisi exprimantur; sive, ut vulgo dicitur, specifica mentione dignae sint. Cfr Luc. Ferr. V. *Moniales* art. III n. 53.

Nota. De excommunicatione *non tamen reservata*, qua ex Decreto Conc. Trid. sess. XXV cap. 19 de ref. percancelluntur duellant, et reliqui ibidem recensiti, dicetur infra Tit. IV in fine. Quum vero casus isti, quantum ad excommunicationis sententiam, sub praedicto Articulo contineantur, poena haec Tridentina in poenam hujus Articuli quasi conversa haberi potest, uti scribit Avanzini in suis *Commentariis* p. 123.

ART. IV.

„Nomen dantes sectae *Massonicae*, aut *Carbonariae*, aut aliis ejusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur; nec non iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes, earumve occultos coriphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint.”

Probe notum est, hujus Articuli respectu jam pridem a Sede Apost. nonnulla constituta ac sancta fuisse, quae in antecessum

indicare juvat, ut ejusdem materia magis comperta habeatur. Primum Clemens pp. XII animo volvens gravissima damna, quae ex hujusmodi societatibus seu conventiculis nedum temporalis Reipublicae tranquillitati, verum etiam spirituali animarum saluti inferuntur, in Const. *In eminenti* anni 1738 omnibus et singulis Christifidelibus sub pena excommunicationis latae sententiae Pontifici reservatae prohibuit: „ne quis sub quovis praetextu aut quaesito colore audeat vel *praesumat* societas *d' liberi muratori* seu *des francs maçons*, aut alias nuncupatas inire, vel propagare, confovere, ac in suis aedibus vel domibus seu alibi receptare, atque occultare, iis adscribi, aggregari, aut interesse, vel potestatem seu commoditatem facere ut alicubi convocentur, iisdem aliquid ministrare, sive alias consilium, auxilium vel favorem palam aut in occulto, directe vel indirecete, per se vel alios quoquomodo praestare, nec non alios hortari, inducere, provocare, aut suadere ut hujusmodi societatibus adscribantur, annumerentur, seu intersint, vel ipsas quomodolibet juvent ac foveant”. — Hanc ipsam Constitutionem, quia np. pererebuerat excommunicationis poenam in ea latam evanuisse, ejusdem successor Bened. XIV anno 1751 in Bulla, cuius initium *Providas* „in omnibus et per omnia” confirmavit, additis rationibus seu causis, quae tum Ipsum tum Praedecessorem suum moverunt in prohibitione ac condemnatione praedictae sectae. Inter causas istas numero sex „una est, quod in hujusmodi societatibus et conventiculis eujuscumque religionis ac sectae homines invieem sociantur; Altera est arctum et impervium secreti foedus, quo occultantur ea quae in hujusmodi conventiculis fiunt; Tertia est jusjurandum quo se hujusmodi secreto inviolabiliter servando astringunt.” — Id quod a memoratis Pontificibus de *Sectae Massonicae sociis*, ejusdemque fautoribus quibuscumque expresse statutum erat, hoc ipsum anno 1821 Pius VII in Const. *Ecclesiam a Jesu Christo* iisdem prope verbis extendit ad omnes et singulos Christifideles, qui *Carboniariorum* societati nomen dare aut favorem qualemcumque praestare audenter vel praesumerent. Ut autem malum istud, omneque erroris periculum efficacius arcerentur, duo particulatim superaddidit. Unum continet praeceptum omnibus, sub pena etiam excommunicationis R. Pontifici reservatae, impositum: „ut teneantur denunciare Episcopis vel caeteris ad quos spectat, eos omnes, quos noverint huic societati nomen dedisse, vel aliquo

ex iis criminibus quae commemorata sunt, se inquinasse." Alterum concernit eorumdem Carbonariorum libros ac statuta; qua de re sic decernit: „damnamus et proscribimus omnes *Carbonariorum*, ut aiunt, catechismos et libros, quibus a *Carbonariis* describuntur quae in eorum conventibus geri solent, eorum etiam statuta, codices, ac libros omnes ad eorum defensionem exaratos, sive typis editos sive manuscriptos, et quibuscumque fidelibus sub eadem poena majoris excommunicationis, eodem modo reservatae, prohibemus memoratos libros vel eorum aliquem legere aut retinere, ac mandamus, ut illos vel locorum Ordinariis vel aliis, ad quos eosdem recipiendi jus pertinet, omnino tradant."

Demum Leo XII apprime intelligens clandestinarum sectarum insolentiam in dies crescere, et „cuncta (uti ait) quae ad legitimos Principatus labefactandos, et Ecclesiam funditus delendam spectant, ab iis proficisci", in Const. *Quo graviora die 13 Martii 1825*, praesertim Constitutionibus Clem. XII, Bened. XIV et Pii VII, omnes ejusmodi *occultas* sectas uno ictu percussit. „De consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium (sic dicitur ibidem), et etiam motu proprio, et certa scientia ac matura deliberatione nostra, societas *occultas* omnes, tam quae nunc sunt, tam quae fortasse deinceps erumpent, et quae ea sibi adversus Ecclesiam et supremas civiles potestates proponunt quae superius commemoravimus, quocumque tandem nomine appellantur, Nos perpetuo prohibemus sub eisdem poenis, quae continentur praedecessorum nostrorum litteris in hac nostra Constitutione jam allatis, quas expresse confirmamus. Quocirca omnibus et singulis Christifidelibus cuiuscumque status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis, ac praeeminentiae, sive laicis sive clericis tam saecularibus quam regularibus, etiam specifica et individua mentione et expressione dignis, districte et in virtute sanctae obedientiae praecipimus etc." (sequuntur eadem quae in aliis memoratis Constitutionibus sancita erant).

Postremo ipsem Pius IX in Allocutione 25 Sept. 1865, relatis praevie quae hac de re a Praedecessoribus suis constituta erant, in hunc modum pergit: „attamen impensa haec Apostolicae Sedis studia haud illum habuerunt exitum qui fuisset exspectandus. Neque enim domita, et cohinda est *Massonica* haec, de qua loquimur, secta; verum ita longe lateque diffusa, ut difficillimo hoc tempore ubicumque gentium impune se jactet atque audacius efferatur.....

Quid enim sibi vult *illa hominum cooperatio cuiuscumque religionis et fidei sint?* Quid illa sibi volunt clandestina conventicula, quid severissimum *jusjurandum* ab iis prolatum, qui huic sectae initiantur, nunquam se quidquam patefacturos, quod pertinere ad illam possit? Quo tandem spectat inaudita poenarum atrocitas, quibus se devovent, si forte a juramenti fide desciscant? Impia certe quidem ac nefaria ea societas sit oportet, quae diem lucemque tantopere reformidat; qui enim male agit, ut scripsit Apostolus, odit lucem. Jamvero quam longe dissimiles ab hac dicendae sunt piae fidelium societas, quae in catholica Ecclesia florescunt! Nihil in eis retrusum atque abditum; patent omnibus leges quibus reguntur, patent quae juxta Evangelii doctrinam exercecentur opera caritatis

Praedecessorum nostrorum Constitutiones confirmantes, *massonicam* illam, aliasque ejusdem generis societas quae specienterus diversae in dies coalescunt, quaeque contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinentur, auctoritate nostra Apostolica reprobamus et condemnamus, atque ab omnibus Christifidelibus cuiuscumque conditionis, gradus ac dignitatis, et ubicumque terrarum sint, tanquam per Nos proscriptas et reprobatas haberi volumus sub iisdem poenis, quae in memoratis Praedecessorum nostrorum Constitutionibus continentur.”

Superius dicta viam demonstrant, qua in declaratione sive interpretatione praesentis Articuli incedendum sit. Videlicet

In prima ejusdem parte, a verbo „Nomen — machinantur”, excommunicationis gladio feriuntur omnes et singuli Christifideles, etiam speciali mentione digni, qui quovis praetextu vel quaevis colore audent aut praesumunt *nomen dare* a) „Sectae Massonicae”, a Clem. XII jam pridem damnatae, b) „aut Carbonariae”, a Pio VII speciatim prohibitae, c) „aut aliis ejusdem generis sectis”, scil. *occultis*, tam quae nunc sunt, tam quae fortasse deinceps erumpent, uti constat ex Const. Leon. XII. „Ex eo (ita scribit auctor operis *Acta S. Sedis* T. I p. 292) ejusmodi societas jam damnatae intelliguntur, quia occultae sectae sunt, id est, societas spuria et adulterinae, quae ex praeposteris theoreticis principiis in subversionem publici ordinis, occultis subdolisqne mediis, in sinu societatis, organicam subsistentiam sibi comparant.” Additur in textu interposito commate: „quae contra Ecclesiam vel legitimas

potestates seu palam, seu clandestine machinantur"; quibus verbis, ex Allocutione Pii IX desumptis, sectarum, de quibus hic agitur, determinatur *scopus*, quem sibi proponere debent, simul et *modus* indicatur, quo ad finem istum machinentur satis est. Quamvis sectae hoc Articulo perstrictae in ratione indolis seu naturae vulgo dicantur *occultae*; in modo tamen operandi idem est, sive *palam* sive *clandestine* contra Ecclesiam vel legitimas potestates machinantur. Ad quaestionem sibi propositam: „an habendi sint ut vetiti coetus illi, qui profitentur, se nihil moliri contra Religionem vel civilem Rempublicam, et nihilominus occultum ineunt foedus juramento firmatum?" Resp. S. Poenit. 21 Aug. 1850: „Coetus illos in Bullis Pontificis comprehendi." (cfr Gury T. II n. 976 quaer. 2^o). Quin jam ante, die 5 Aug. 1846, a Congr. S. Off. decretum erat latum quod sic se habet: „Societates occultae, de quibus in Pontificiis Constitutionibus sermo est, eae omnes intelliguntur quae adversus Ecclesiam vel Gubernium sibi aliquid proponunt, exigant vel non exigant a suis asseculis juramentum de secreto servando." (Vide *Revue catholique* anni 1866 p. 192). Patet igitur, sub verbis supra relatis comprehendti omnes societas *occultas*, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates aliquid sibi proponunt, seu quovis modo machinantur; esto etiam, quod hostilem hujusmodi animum dissimilulent aut negent; imo et juramentum de secreto servando a suis asseculis non exigant. Unde et S. Congr. U. Inq., inhaerens alias decisio, in Decreto 12 Jan. 1870 in terminis declaravit: „Societatem Americanam seu Hibernicam, *Fenianorum* appellatam, comprehendti inter societas vetitas ac damnatas in Constitutionibus Summorum Pontificum et praesertim in nuperima.... Sanitatis Suae edita quarto Idus Octobris 1869 inc. *Apostolicae Sedis.*" (cfr Avanzini in *Comment.* p. 24.)

In secunda parte, a verbo „nec non", pari poena plectuntur „iisdem sectis favorem qualecumque praestantes." Qui et quales illi sint, ex memoratis Constitutionibus sponte sua dimanat. Terminus *qualecumque* in sua amplitudine complectitur omnes favendi modos in Bulla Clem. XII singillatim enumeratos. Adertas tamen ex parte *fautorum* idem supponi, quod superius juxta formam anteriorum Constitutionum quoad *nomen dantes* indicatum fuit: nimirum ejusmodi favorem *scienter ac temere* praestandum esse, ut ea propter excommunicatio incurritur. In allegatis documentis continuo

dicitur: „ne quis audeat vel praesumat” talia facere: itaque, nisi Constitutionem Pianam ultra modum pretendere velimus — quod sane a fine ejus alienum esset — proculdubio tenendum est, in praesenti Articulo tacite supponi, quod ibidem expresse additur.

Quantum ad tertiam partem, a verbo „earumve”, quivis prima fronte perspicet, poenam in non denunciantes olim statutam, hoc Art. maximopere restrictam esse. Antehac sub excommunicatione Pontifici reservata praeceptum erat: „ut teneantur denunciare Episcopis, vel caeteris ad quos spectat, eos omnes, quos noverint his societatibus nomen dedisse, vel aliquo ex iis criminibus... se inquinasse” (cfr Const. Leon. XII); nunc vero hujusmodi censura in eos solum profertur, qui „occultos coryphacos ac duces” non denunciant; addita etiam clausula: „donec non denunciaverint”; quibus quidem verbis significari videtur, excommunicationem ideo contractam, facta denunciatione, sine alia absolutione cessare, aut certe R. Pontifici non amplius reservari. Vide Reiff. L. V Tit. 39 n. 241; Avanzini *Comment.* p. 89; item *Nouv. Rev. Théol.* T. VIII p. 612.

Quamvis *poena* in non denunciantes antea lata hodieum valde limitata sit; nihil tamen in hac ipsa Const. immutatum fuit quoad legis obligationem in ratione *culpae* (cfr dicta in Prooem. sub 1^o). Quaeri ideo potest: 1^o Cui et a quibus praefati coryphaei ac duces, caeterique illarum sectarum asseciae aut fautores de jure denunciandi sint? — 2^o Quid de hac denunciandi obligatione practice judicandum sit? — 3^o Quid similiter censendum sit de illis, qui spreta Ecclesiae lege damnatis hujusmodi sectis nomen dare, vel favorem praestare non metuunt? Ad 1^{um} Generatim responderi potest, quod in recenti Instruct. S. Officii de die 1 Feb. 1871 de coryphaeorum ac ducum denunciatione speciatim edicitur: „Obscurum minime esse potest, a quibus (illorum denunciations) facienda sint. Generale quippe est praeceptum omnibus fidelibus injunetum. Cui vero sint facienda, manifestum quoque est: nimur ei, qui pro pastorali officio vigilare ac cavere debet, ne oves sibi concredite in lupos incurvant, neve peste inficiantur; eujusmodi est, quicumque episcopale vel quasi-episcopale munus in Missionibus gerit.” — Quoad 2^{um} illud in primis certum est, quemadmodum S. Poenit. die 8 Nov. 1821 Card. Archiep. Neapol. rescripsit: „Obligationem in Const. (Pii VII) impositam de Carbonariis denunciandis, eadem

ratione esse interpretandam, qua leges ecclesiasticae, quibus haereticorum denunciatio praecipitur." (Vide Scavini *Theol. mor.* T. III p. 488 edit. an. 1847). Ambigi itaque nequit, quin in locis, ubi viget lex denunciandi occultos haereticos, etiam sectariorum istorum denunciatio vere obliget. (Avanzini *Comment.* p. 88). Quia vero in nostris rerum adjunctis ob libertatem cultus omnibus assertam haereticorum errores impune grassantur, atque ideo ipsorum denunciatio, lege Ecclesiae imposta, haud obligare videtur, sicut ipsem Luc. Ferraris V. *Denunciatio* n. 18 cum Navarro, Bonacina et aliis de simili rerum eventu docet, quibus inter recentiores adstipulatur Scavini *de Fide* cap. V Art. II q. 6^a, — „catholici, ita ait Luc. Ferr. l. c., non tenentur denunciare haereticos in illis locis, in quibus haeretici sunt permixti cum catholicis, id scientibus Inquisitoribus et Episcopis, cum nemo obligetur ad opus inutile.” Et Scavini l. c. ita scribit: „non urget denunciandi obligatio, quando nulla omnino est spes punitionis; nam ad opus inutile nemo tenetur, ut esset in iis locis, ubi haeretici Catholicis permixti sunt.” — Quia, inquam, haereticorum denunciatio ob praefatam rationem heic non obligat, pari de causa cum scriptoribus *Mélang. Théol.* T. V p. 605 statui potest, etiam *Sectariorum* istorum denunciationem in nostris tractibus omitti posse, dummodo jus naturae aliud non praecipiat. Nam, ut vere dicit cl. Avanzini l. c., „etiamsi lex ecclesiastica denunciandi cessavisset, maneret obligatio ex jure naturali derivans, quod jus naturale gravibus occurrentibus adjunctis, ut quando agitur de gravi damno evitando, graviter potest obligare.” Unde et ipsi SS. Pontifices, dum quandoque, puta tempore jubilaei, ejusmodi denunciandi obligationem universim donant seu remittunt, adjicere solent limitationem: „exceptis casibus, in quibus ad evitanda majora et graviora damna denunciatio omnino necessaria videatur.” — Ad 3^{ium} Quodsi modo in nostris rerum adjunctis sectariorum illorum denunciatio regulariter omitti queat, nullo tamen pacto a culpa et censura excusari possunt, qui spretis Ecclesiae legibus (aliud quippe dicendum videtur de iis qui ignoranter seu bona fide sic agunt, vide Gury T. II n. 975 nota 2^a) damnatis hujusmodi sectis nomen dare, aut qualecumque favorem praestare audent vel praesumunt. Nec quidquam refert, uti quandoque objicitur, quod hujusmodi occultae societas lege civili permittantur aut tolerentur. Siquidem in celeberrima Encyclica *Quanta cura* 8 Dec. 1864

ipsemet Pius IX inter alias proscripsit propositionem sequentem: „Constitutiones Apostolicas, quibus damnantur clandestinae societates, sive in eis exigatur, sive non exigatur juramentum de secreto servando, earumque asseclae et fautores anathemate muletantur, nullam habere vim in illis orbis regionibus ubi ejusmodi aggregationes tolerantur a civili gubernio.” Nullius quoque momenti est alia istius generis difficultas, quae ex defectu promulgationis quandoque obtenditur. Communis quippe et probabilior sententia est: promulgationem Constitutionum ecclesiasticarum solemniter Romae factam satis esse, ut omnes ubivis gentium Christiani ad eas servandas absque ulla nova promulgatione obstringantur. Cfr Soglia p. I § 24; Ligorio L. I n. 96; item Bened. XIV *de Syn. Dioec.* L. XIII cap. 4 n. 2. Dein quod ad casum, de quo agimus, speciatim spectat, S. C. Inquisit., approbante Greg. XVI, die 27 Junii 1838 expresse declaravit: Constitutiones Pontificias contra liberos muratores editas in Hollandia obligare, licet ibidem promulgata non essent. Vide Soglia l. c.— Postremo, quod ad sectariorum illorum absolutionem attinet, illud insuper cum Avanzini *Comment.* p. 89, *Mél. Théol.* T. V p. 60^e et aliis animadverti hic potest, ejusmodi personas, etiam poenitentes, absvoli non posse nisi adhibitis consuetis conditionibus: „ut a respectiva secta omnino se separant eamque abjurent, libros, manuscripta, ac signa sectam respiciencia, si quae retineant, in manus confessarii tradant, ad Ordinarium quamprimum caute transmittenda, aut saltem, si justae gravesque causae id postulent, comburenda, injuncta pro modo culparum gravi poenitentia salutari, cum frequentia Sacramentalis Confessionis, aliisque injunxit de jure injungendis.” Plura huc spectantia vide penes Van Egeren, *Notationes*, fasc. 13 p. 70 n. 67—71, ubi casus de moribundo libero muratore speciatim expenditur.

ART. V.

„Immunitatem asyli ecclesiastici, ausu temerario, violare jubentes aut violantes.”

Quae sit asyli ecclesiastici natura et origo; — quibus locis de jure competit; — quae personae privilegio isto perfrauantur vel ab eo excludantur; — quot et quibus modis violari possit; — quot et quae poenae contra ejusdem violatores in jure statutae sint;

— haec et alia localem immunitatem respicientia in Prael. jur. can. (Soglia p. III § 132) ex professo traduntur. Hoc igitur locc satis erit indicare disserimen, quod *censurarum* respectu per praesentem Constitutionem inductum fuit. Nuper omnes et singuli immunitatis asyli ecclesiastici violatores, quo etiam modo crimen istud admitteretur, ipso facto incurribant excommunicationem R. Pontifici reservatam. Cfr Soglia l. c. a verbo *contra* etc., item Reiffenstuel L. III Tit. 49 n. 214. Ad tramitem novae Constitutionis hujusmodi censurae illi tantum subjacere declarantur, qui praedictam immunitatem, ausu temerario, violare jubent, aut ipsimet violent. Advertendum praeterea est, quemadmodum in Instruct. S. Offic. 1 Feb. 1871 expresse dicitur, „verba *ausu temerario* utrumque membrum complecti. Ex quo intelligas, eum tantum excommunicationem incurtere, qui ab aliis minime coactus, prudens ac sciens immunitatem asyli ecclesiastici aut violare jubet, aut exequendo violat.” Ex quo denique cum Mariano a Novana (app. ad comp. Theol. Thomae ex Charmes p. 654) concludere licet: „milites qui ad hanc violationem a suis ducibus coguntur; imo ipsi duces, ac officiales etiam civiles, qui non sponte, sed contra voluntatem, et a propriis superioribus coacti, ecclesiastici asyli violationem exequi mandant, excommunicationem hanc minime incurtere.” Culpa sane non vacant qui, seclusa causa excusante, immunitatem asyli ecclesiastici quovis modo violent, seu quid eorum agunt, quae de jure privilegio isti adversantur; verum ut ideo hodieum excommunicationis poena contrahatur, duo copulative concurrere debent: èt ausus temerarius, èt una ex memoratis actionibus. Ubi alterutrum deficit, censura non incurritur. Cfr Avanzini *Comment.* p. 90.

ART. VI.

„Violantes clausuram Monialium, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes, itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V in Constit. *Decori* praescriptam.”

Quae hoc Articulo de violatione clausurae Monialium decernuntur — sit hoc a principio dictum — respiciunt Moniales stricte

dictas, quibus np. vota solemnia nuncupantibus clausurae lex de jure communi imposita est; non autem caeteras, quae vota simplicia tantum habentes quandoque vel ab Episcopo, aut vi suarum Constitutionum, aut ex speciali forte voto clausurae lege astringuntur. Constat namque tum ex textu hujus Articuli (prior ejusdem pars pene litteraliter desumpta est ex decreto Trid. sess. XXV cap. 5 de Regul.), tum ex citata Constitutione Pii V, sermonem hic esse de censura vel poena, a SS. Canonibus aut Apostolicis Constitutionibus sancita; ejusmodi vero poenis, quantum ad clausurae violationem, haud obstringi Moniales posterioris generis, edocemur ex Decreto S. Cong. EE. et RR. 1 Aug. 1839 quod est tenoris sequentis: „Utrum si non sint solemnia vota, moniales nihilominus teneantur ad clausuram servandam, quam voto simplici vovent, sub censuris a Trid. Synodo editis, ubi Episcopus clausuram restituerit?” Resp. „Negative quoad poenas sacris canonibus et Apostolicis Constitutionibus praescriptas; affirmative relate ad censuras ab Episcopo fortasse impositas.” (Cfr Lucidi *de visit. SS. Lim.* T. II n. 310).

Jam vero quod ad Moniales stricte dictas attinet, ob violationem earumdem clausurae tres personarum ordines excommunicationi R. Pontifici reservatae subjacere dicuntur in Art. superius relato:

1º Omnes et singuli, „cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia *ingrediendo*.” Adverte primo, ad incurrendam memoratam poenam haud necesse est, ut hujusmodi ingressus fiat ad malum finem vel ex praetextu privilegiorum, uti nonnulli veterum canonum interpretes arbitrati sunt (cfr Dens *de Poenit.* n. 226). In praesenti Articulo nihil habetur, quod talem interpretationem exigit aut suadeat: illorum igitur sententiam preferendam censemus, qui talem ingressum, etiam sine malo fine et absque praetextu privilegiorum peractum, sub excommunicatione vetitum esse opinantur; tanto magis, quod jam dudum in stylo Curiae sic receptum esse videatur. Vide Luc. Ferraris V. *Moniales* art. III n. 49; Giraldi *Expos. Jur. Pont.* p. 1031; item Daris *Prael. Can.* T. IV n. 123. 124. Adverte secundo, nullam quoque limitationem seu exceptionem fieri quoad personas ingredientes; contra generatim ac indefinite dicitur, „cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint.” Itaque si quaedam personae, puta pueri aut amantes, Reges et Reginae, etc. a regula excipi soleant; illud ipsum

aliunde repetendum est, quia np. priores, sicuti culpae sunt incapaces, ita et poenae; posteriores vero speciali mentione dignae reputentur, atque adeo multorum judicio censuris non ligentur, nisi exprimantur. Adverte tertio, satis non esse, ad hoc ut Monasterii septa ingredi liceat, veniam obtinuisse superioris regularis; sed opus omnino esse, ut Episcopi licentia accedat. Quamvis enim in Conc. Trid. sess. XXV cap. 5 de Reg. disjunctive dicatur „sine Episcopi vel Superioris licentia”: nihilominus tum Superioris tum Episcopi veniam desiderari, nisi diuturna consuetudo unius Episcopi veniam postulet, plus semel responsum est a S. Cong. Conc. Vide Bened. XIV. de *Syn. Dioec.* L. XIII cap. 12 n. 23; item *Devoti Inst. jur. can.* T. I p. 355. Adverte quarto, praefatam licentiam non pro arbitrio, sed tantum „in casibus necessariis”, uti ait Tridentinum l. c., concedendam esse: qualis vero aut quanta haec necessitas esse debeat, nec Concilium eloquitur, nec SS. Pontifices determinarunt. Illud tamen cum probatis auctoribus dicendum videtur: non requiri extremam aut strictissimam necessitatem, sed sufficere moralē et gravem, cui per Moniales ipsas sine extraneorum ingressu commode occurri nequeat. Cfr *Theol. curs. compl.* T. XVIII p. 1580. Caeterum, quibus nominatim personis et quoisque ingrediendi licentia de jure competit, aut rite dari queat, paucis complectitur Gury T. II n. 989 a V. *Possunt* etc. Plura vides penes Giraldi *Expos. Jur. Pont.* l. c.; Luc. Ferr. V. *Moniales* Art. III n. 74—82; Craisson *Man. juris* n. 2851 seq. alios.

2º loco excommunicationi subjacere dicuntur: „eos (scil. ingredientes absque legitima licentia) introducentes vel admittentes.” Verba haec — quidquid ea de re senserint quidam antiquorum canonum interpres, cfr Bonacina *de claus. et poen.* q. IV p. VI n. 3 — in sua generalitate comprehendere videntur omnes Moniales, tam inferiores quam superiores modo faciant quod lege prohibetur. Quae res igitur: quandonam vero sensu *introducere* vel *admittere* censeantur? „Nomine Monialium (inquit Lucius Ferraris l. c. n. 59) introducentium vel admittentium in clausuram personas non habentes ad id legitimam facultatem veniunt omnes *active* influentes in talem ingressum, ut sunt invitantes, consulentes, approbantes, monstrantes iter, auferentes impedimenta, januam aperientes, eas recipientes, concedentes, et auctoritative seu ratione sui officii permittentes ut intrent.” — Quoad hanc secundam Articuli partem illud denuo ani-

madvertendum est, ob hujusmodi introductionem vel admissionem poenam incurri, etiamsi ipsimet ingredientes, v. g. pueri ob defecum culpae, et alii hujusmodi ob causam extrinsecam, a poena violationis clausurae eximerentur. Cfr Luc. Ferraris l. c. n. 58.

3º loco eidem censurae subjacere declarantur: „Moniales ab illa (clausura) exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V in Const. *Decoris praescriptam*.“ Qui casus ac forma illa sint, ibidem § 2 in hunc modum determinatur: „nisi ex causa magni incendii vel infirmitatis leprae aut epidemiae, quae tamen infirmitas praeter alias Ordinum Superiores, quibus cura monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum vel alium loci Ordinarium, etiamsi praedicta monasteria ab Episcoporum et Ordinariorum jurisdictione exempta esse reperiantur, cognita et expresse probata sit, a monasteriis praefatis exire, sed nec in praedictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus, stare licere.“ Id quod de „causa magni incendii“ hic statuitur, pertinet quoque ad aquarum inundationem, hostium impetum, monasterii ruinam, et similia quae subitam fugam postulant: „Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum“, prout dicitur cap. IV *de reg. juris*. Alterum vero statutum de causa „leprae aut epidemiae“, ad morbos non contagiosos protendi nequit. „In caeteris casibus, inquit Soglia p. III § 129, etiamsi sermo sit de gravibus infirmitatibus, quae medicorum sententia intra claustra consuli nequeunt, absque S. Sedis permissione Moniales nec ad breve tempus e monasterio egredi possunt.“ Confer etiam Bened. XIV *de Syn. Dioec. L.* XIII cap. 12 n. 26; item Devoti *Instit. jur.* T. I p. 355.

Nota. Tametsi poena hujus canonis, prout ab initio fuit dictum, non incurritur, nisi sermo sit de Monialibus stricte dictis, vota *solemnia* nuncupantibus; nihilominus etiam pro caeteris, quibus ex Statuto Episcopi aut alias clausurae lex imposita est, actiones superius memoratae sub respectu moralitatis sedulo attendendae sunt. Inde nempe colligere est, quaenam et iis aut earum respectu in ratione clausurae potissimum evitanda sint.

ART. VII.

„Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliosve eas admittentes.“

Inter hunc et praecedentem Articulum duplex discriben prima

fronte appareat. Primum spectat personas, quarum ingressio vel admissionis intra clausuram excommunicatione plectitur: hic agitur de solis mulieribus; ibidem sermo est de personis utriusque sexus. Alterum concernit egressum e monasterio: quamvis enim, regulariter loquendo, viris quoque regularibus nefas sit ex illo egredi absque licentia Superioris sui; ejusmodi tamen egressus sub poena excommunicationis de jure communi non cohibetur. Cfr Ligor. L. V n. 37.— Unam etiam convenientiam inter hunc et superiorem Articulum in antecessum animadvertere liceat: nimirum ex parte Religiosorum, de quibus hic agitur, similiter supponi vota *solemnia*. Sermo quippe est de clausura „Regularium virorum”: horum autem nomine, saltem in rebus odiosis ac penalibus, non appellantur Congregations ecclesiasticae eorum, qui emitunt vota simplicia tantum. Cfr Avanzini in *Comment.* p. 92.

Jam vero, quod ad tenorem canonis supra positi attinet, pro ejusdem declaratione ac notione satis erit indicare, quid hujus rei respectu jam pridem a Sede Apostolica constitutum fuerit. Patebit inde, quae mulieres *violando Regularium virorum clausuram*; et qui Superiores aliive eas *admittendo* excommunicationis poena in eo multentur.

Quoad primum delictum S. Pius V in Const. *Regularium* 28 Octobris 1566, et in altera prioris declaratoria diei 16 Julii 1570 quae incipit *Decet Romanum*, omnibus mulieribus cuiuscumque status, etiam illis quae sine facultatum praetextu procedunt, sub poena excommunicationis R. Pontifici reservatae, districte prohibuit, ne Regularium virorum claustra (exceptis quibusdam casibus ibidem recensitis) *ingredi* audeant aut praesumant. Cfr Ligor. L. VII n. 230 et alios ibidem citatos. Cum vero subinde plures abusus, seu major ingrediendi admittendique facilitas invaluerat, Bened. XIV in Brevi *Regularis* 3 Jan. 1742 „omnia et singula indulta, privilegia, prerogativas, facultates, licentias, et quantoque alio pacto nuncupatas concessions” revocavit, abolevit et annullavit, exceptis tantum iis, quae in favorem nobilium foeminarum causa fundationis aut dotationis ipsius monasterii, vel titulo propinquitatis cum Domino temporali loci, in quo situm est, facta et impertita fuerant, dummodo Antistiti Ordinario constare fecerint, se litteras Apostolicas ad hoc habere, et hoc suo privilegio sola pietatis causa cauteque utantur.

Quoad posterius delictum, seu *admissionem* mulierum intra clau-

suram virorum Regularium, prae caeteris attendenda est Constitutio Greg. XIII *Ubi gratiae* 13 Junii 1575, in qua — facta prius revocatione facultatum ingrediendi monasteria Monialium et virorum Regularium cuiuscumque ordinis — § 3 sic decernitur: „Abbatissis nec non Abbatibus, Conventibus, ac aliis Monasteriorum utriusque sexus Superioribus, et personis quoemque nomine vocentur, districte praecipimus sub eadem excommunicationis poena (Pontifici scil. reservata), nec non privationis dignitatum, beneficiorum, et officiorum suorum, et inhabilitatis ad illa, et alia in posterum obtinenda, ne in monasteria, domos, et loca sua, quemquam praetextu hujusmodi licentiarum et facultatum ingredi faciant, vel permittant.” Certum ergo indubitatumque est, quod ad formam superioris Articuli excommunicationi subjaceant Regularium Superiores et alii, puta monachi, canonici, fratres, aut aliae monasteriorum personae quoemque nomine vocentur, qui mulieres praeter casus in jure permissos (vide supra Breve Bened. XIV) intra clausuram admittunt, seu ingredi faciunt praetextu licentiarum et facultatum, quibus se praeditas esse contendunt. Utrum idem sit, si talia fiant absque hujusmodi praetextu, in allegata Constitutione non dicitur: attamen a S. Congr. EE. et RR. sic decisum fuisse refert Lucius Ferraris in sua Bibliotheca V. *Conventus* art. III n. 7. Ita quoque usu et praxi receptum esse in tribunali S. Poenitentiariae testatur Filliucius apud Bonacina *de claus. et poen.* q. V p. III n. 2. — Praeterea quod superius Art. VI sub 2º adnotatum fuit de admissione puerorum intra clausuram Monialium, etiam hic dicendum videtur de introductione juniorum puellarum intra clausuram Regularium. Cfr Luc. Ferraris V. *Conventus* Art. III n. 18 sq.

In praefatis exhibentur regulae seu casus, in quibus mulieres obtemeriam ingressiōnem, et Regularium Superiores aliive ob illicitam earum admissionem intra septa Monasterii excommunicatiōnem R. Pontifici reservatam *de se* incurrire censemur. In comperto quippe est, aliud *per accidens* — quia np. in casu particulari deest temeritas ex parte ingredientium, aut alia causa a censura excusans forsitan intervenit — practice admitti aut statui posse: et hoc quidem titulo seu motivo ipsem ligorio L. VII n. 231 praeter personas a Bened. XIV in Brevi *Regularis* exceptas, a lege ista eximit foeminas necessarias ad curationem alicujus religiosi (intellige cum licentia Superioris), vel quae fugerent ad evitandam ne-

cem. Vult insuper cum Elbel, „quoad modum servandi clausuram, attendendas esse legitimas consuetudines ac rationabiles, auctoritate Superiorum approbatas: non autem eas, quae potius abusus, et corruptelae dicendae sunt.”

ART. VIII.

„Reos simoniae realis in Beneficiis quibuscumque, eorumque complices.”

ART. IX.

„Reos simoniæ confidentialis in Beneficiis quibuslibet, cujuscumque sint dignitatis.”

ART. X.

„Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem.”

De natura et divisione *Simoniae*, quae materiam trium superiorum Articulorum constituit, alibi in präelect. Theol. et canonicis in extenso disseri solet. Cfr Dens T. IV n. 199—213; item Soglia *Inst. can.* p. III § 170. Plura ibidem traduntur etiam de variis poenis, quibus Ecclesia improbum istud crimen semper insectata est. Prima et maxima ex iis est excommunicatio latae sententiae R. Pontifici reservata, cui — abrogatis aut immutatis caeteris casibus, quibus antehac poena ista de jure imposta erat — ad trahentes praesentis Constitutionis tres simoniacorum ordines seu classes subjaceere, ex memoratis Articulis edocemur.

Quantum ad primos, de quibus Art. VIII, notandum est, ibidem tres conditiones copulative requiri aut supponi, ut ideo poena apposita vere contrahatur. Nimirum ex parte *subjecti*, reatum seu culpam gravem; ob levem quippe culpam poena gravis, qualis est ejusmodi excommunicatio, numquam incurritur. — Ex parte *actus*, simonia realem, seu conventionem expressam aut tacitam, utrumque saltem inchoative completam, dandi aut recipiendi rem temporalem pro spirituali, et vice versa. — Ex parte *objecti*, ut talis simonia committatur in re beneficiali seu „beneficiis quibuscumque,” puta majoribus aut minoribus, duplicitibus vel simplicibus, regularibus aut saecularibus, patronatis aut liberis, verbo, quae cumque illa fuerint, dummodo naturam veri ac proprie dicti bene-

ficii reapse habeant. Cfr Soglia p. III § 81—83. Hisce concurrentibus propter istiusmodi simoniam excommunicationis vinculo innodantur non solum „rei” seu operantes principales, sed eorum quoque „complices,” qui nempe, „quod illa fiat, mediatores extiterint, seu procuraverint,” uti dicitur cap. *Cum detestabile 2 de Simon. Extrav. comm.* Consule etiam Const. Julii II *Cum tam* § 6; item *Nouv. Rev. Théol.* T. IX p. 368.

Quoad secundos, de quibus Art. IX sermo est, animadvertas, ex parte *subjecti* et *objecti* hìc eadem supponi, quae superiori Articulo tradita sunt; diserimen vero esse in ratione *actus* et *complicitatis*. Ibidem agitur de simonia reali; hìc de confidentiali, quae in eo a praecedente discrepat, quod pro beneficio seu re spirituali non detur stricto sensu res temporalis aut vice versa: sed quod quis alicui conferat aut resignet beneficium ecclesiasticum, vel ad illud praesentet aut eligat quemquam, vel etiam electum aut praesentatum confirmet aut instituat *cum* certa obligatione seu confidentialia, interposito scilicet expresso aut tacito pacto, ut illud ipsum tanquam *ex debito* sibi aut alteri postea cedat seu resignet, vel *ex eo* pensionem seu partem fructuum persolvat. Cfr Soglia p. III § 170 a V. *His tribus* etc. Dein — quantum ad complicitatem — in superiori Art. poena multantur èt rei èt complices; hìc rei seu principales tantum. Ne qui vero, tanti criminis rei, specioso dignitatis suae titulo a censura ista exemptos se putarent, expresse additur: „eujuscumque sint dignitatis.”

Quod ad tertios, de quibus Art. X agitur, attinet, ex supradictis jam constat, quinam simoniae realis rei habendi sint. Videntur restat, quando aut quomodo „ob ingressum in Religionem” hujusmodi simonia *vere* committatur, adeoque ex capite illo excommunicationis sententia ipso facto infligi censeatur? Putant nonnulli, in memorato casu veram simoniam numquam adesse, nisi temporale detur vel accipiatur tanquam *pretium* status religiosi. „Advertendum est, inquit Suarez de *Statu relig.* L. V cap. IX n. 15, aliud esse aliquid in *pretium* religiosi status conferre; aliud vero esse conferre aliquid ex occasione, non quidem in *pretium*, sed vel in eleemosynam, vel ob benevolentiam, vel, quod frequentius est, alimentorum gratia; hoc enim posterius non sufficit ad simoniā, sed oportet, ut ratio pretii interveniat.... Atque ita intelligendus est textus in cap. *Quoniam de simonia;* consuetudo est op-

timis legum interpres, et textus ille expresse loquitur de pretio; hic autem revera pretium non intervenit, sed sustentatio." Alii vero, etsi concedant occasione ingressus aut professionis alimentorum gratia aut simili titulo extrinseco saepenumero aliquid temporale licite dari et accipi, imo (prudenter tamen ac caute) exigi posse, puta si monasterium sit egens sive ex propriis redditibus suorum sustentationi non valeat commode prospicere; — si recipiendus sit infirmus, senex, hebes ingenio, aut similis, ipsi monasterio oneri futurus; — si quaestio sit de alimentatione aut sustentatione tempore novitiatus tantum; — si forte ipsum monasterium Indulto Apostolico ad hoc munitum sit, quale Clem. VIII in gratiam Monialium etiam ditionum concessisse legitur; etc. — negant tamen sic universim absque simoniae piaculo fieri posse: ratio illorum haec potissima est, quodsi virorum Regularium monasterium abundet opibus, quibus np. professos suos convenienter sustinere queat; et nihil secius pro eorumdem sustentatione aliquid temporale petere aut exigere praesumat, illud ipsum non titulo sustentationis, sed potius hujusmodi praetextu *pro ipso* ingressu in Religionem exigere aut petere censeatur. Cfr. Schmalzg. L. V T. III n. 193—201; Devoti *Inst. can.* T. II p. 318 seq.; Ligorio L. IV n. 91. 92; Gury *Theol. mor.* T. I n. 291 et alios. In hac rerum incertitudine, quantum ad poenam de qua agimus, nihil obstare videtur, quominus pro foro interno priori sententiae adhaereamus, quemadmodum S. Alphonsus L. VII n. 67 de hujusmodi dubio in casu censoriarum generatim resolvit ac docet. Sententiae isti tanto magis inhaerendum esse censemus, quod ipsamet S. C. C. in altero casu, de quo disserunt posterioris sententiae patroni, non veram simoniam sed *speciem* simoniae et avaritiae solum agnoscat. „*Communissima et recepta sententia esse videtur (sic dicitur in Thesauro resolutionum T. III p. 157 ed. Rom. an. 1745)*, quod vera committatur simonia, quando fit pactio dandi dotem monasterio, sive diviti, sive pauperi, tanquam *pretium* ingressus in religionem, vel professionis. Sed quando fit pactio dandi dotem *in causam alimentorum* ingredientis vel profitentis, tunc si monasterium est opulentum, pactio redolet speciem simoniae et avaritiae.”

ART. XI.

„Omnes qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque

gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constitutione S Pii V *Quam plenum* 2 Januarii 1569.”

Materia hujus canonis cum ea, de qua mox dictum fuit, intime connectitur: quandoquidem „quaestum facere ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus” simoniae pravitatem non obscure redoleat. Casus seu turpes abusus, quos S. Pius V in cit. Const. § 1—3 perstringit, ad tria capita reduci possunt. Personae vero, quae idcirco excommunicatione R. Pontifici reservata plectuntur, sunt omnes et singuli „inferiores ab Episcopis.” Vide ibidem § 6^o.

Pro majori rei claritate tres priores paragraphos praedictae Constitutionis hisce subjungimus.

„§ 1. Rem profecto indignam audivimus, quod quidam ecclesiarum Hispaniae praesules..... gratia gratis accepta pietatis specie abutentes, et facultates a sacris canonibus sibi concessas excedentes, litteras suas in eorum civitatibus et dioecesisibus publicare prae sumperunt, quibus inter caetera pericula, deprehenditur, quod cuicunque illas accipienti, certa soluta pecunia, licitum sit quem voluerit sibi sumere sacerdotem, qui, confessione audita, ipsum absolvere valeat, non in eis tantum easibus in quibus simplex sacerdos absolvere potest, sed etiam in iis, quae solis Episcopis reservata reperiuntur, aliquo praeterea casu admixto, qui ad examen hujus Sanctae Sedis esset omnino referendus.

„§ 2. Ad haec, ipsi, in dispensandis coelestis gratiae donis nimium prodigi, iis sic litteras praedictas accipientibus indulgentias et poenitentiarum injunctarum remissiones, nulla cum re temporali conferendas, profusius passim et indiscrete largiuntur, quibus et aliis licentiis praedictis non pauci fluctuant et infirmi, veniae facilitate inducti, ad peccandum procliviores fiunt, quando tot et tantorum delictorum remissionem certo et vilissimo pretio acquirere possint; et indicem praeterea easum et indulgentiarum aedibus sacris appendi jusserunt, quibus emptores venari videntur, cum palam significetur solventibus suprascripta concedi.

„§ 3. Itemque Missae sacrificium et sepulturam tempore interdicti, eiborum prohibitorum usum, assumptionem duorum vel pluri um ut compatrium ad sacrum baptisma, contra Decretum Concilii Tridentini, praeter eos, qui synodalibus, ut dicunt, constitutionibus adsciscuntur, a simoniae reatu absolutionem Sedi Apostolicae

reservatam impendunt, reparationem ecclesiarum et pias causas praetexentes, ut honesta praeescriptione videantur cupiditatis vitium obduxisse."

ART. XII.

„Colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.”

Pro intellectu hujus Articuli commemorare juvabit, quid antea cum respectu ad hanc materiam Bened. XIV in Litt. Encycl. 30 Junii 1741 *Quanta cura* § 5 constituerit. „Universis notum facite (sic dicitur l. c.), quemcumque, qui eleemosynas, seu stipendia majoris pretii pro Missis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines, vel synodalia statuta exigunt, colligens, Missas, retenta sibi parte earumdem eleemosynarum seu stipendiiorum acceptorum, sive ibi sive alibi, ubi pro Missis celebrandis minora stipendia seu eleemosynae tribuuntur, celebrari fecerit, laicum quidem seu saecularem praeter alias arbitrio vestro (Episcoporum) irrogandas poenas, excommunicationis poenam; clericum vero, seu quemcumque sacerdotem, poenam suspensionis ipso facto incurrere: a quibus nullus per alium, quam per Nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit.” Cuivis verba haec cum tenore superioris Articuli conferenti clarum ac perspicuum erit, hae ipsa Pii IX Constitutione — manente firma juris dispositione de non committenda alteri Missarum celebratione retenta sibi parte stipendii; manentibus etiam poenis Episcoporum arbitrio propterea irrogandis — priscam Bened. XIV ordinationem quoad censuras *ipso facto* incurrendas partim esse extensam, partim limitatam. *Extensam*, quum loco suspensionis in clericos antea latae, in omnes, sive clericos, sive laicos, excommunicationis poena jam statuta sit. *Limitatam*, seu potius declaratam, quandoquidem non dicatur universe: „qui eleemosynas seu stipendia majoris pretii pro Missis celebrandis . . . colligens, retenta sibi parte . . . sive ibidem sive alibi . . . celebrari fecerit;” sed „colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.” Quibus verbis aperte indicari

videtur, quod S. Lig. L. VI n. 322 dub. 3^o, de Const. Bened. XIV disserens, dubitanter affirmat, videlicet S. Pontificem illos tantum excommunicationis poena „damnare voluisse, qui ex industria eleemosynas colligunt, ut ex eis turpem faciant quaestum, nempe colligendo stipendia praescripta in uno loco, et alibi Missas curando celebrari, ubi eleemosynae sunt minoris pretii, quam illuc ubi exceptiuntur.” Ita quoque sentit ac docet cl. Avanzini in suis *Commentariis* Const. Pii IX: „hanc censuram, inquit p. 97, incurruunt qui colligunt Missarum stipendia majoris pretii ut lucrum captent faciendo eas Missas celebrari in locis in quibus minus sit Missarum stipendum.” — De materia hujus Articuli plura videsis in Tract. de *Sacrif. Missae* n. 14; item *in Responsis ad Quaest. Confer. Tom. I* p. 118—123.

ART. XIII.

„Omnis qui excommunicatione mulctantur in Constitutis S. Pii V, *Admonet nos*, quarto Kalendas Aprilis 1567, Innocentii IX, *Quae ab hac Sede*, pridie Nonas Novembris 1591, Clementis VIII, *Ad Romani Pontificis curam*, 26 Junii 1592 et Alexandri VII, *Inter caeteras*, nono Kalendas Novembris 1660 alienationem et infeudationem Civitatum et Locorum S. R. E. respicientibus.”

In Const. *Admonet nos* S. Pius V — praemissa enarratione, quomodo nonnulli, nimium ambitiosi et dominandi cupidi, sub variis praetextibus ostendere ac suadere conati sint, magis utile et expediens S. R. E. et Sedi Apostolicae fore, si aliquae civitates, terrae, oppida, castra, arces et loca, ad ius et proprietatem ejusdem pertinentia, in feudum, gubernium, vicariatum, ducatum aut quemvis alium titulum, in perpetuum vel ad tempus concederentur — omnem hujusmodi infeudationem aut alienationem, quin et molitiones, insinuationes et suasiones hunc in finem per se aut per alios quovis praetextu, etiam necessitatis aut evidentis utilitatis, factas, in hunc modum compescuit: „omnes et singulæ, tam Communitates et Universitates, quam cives et incolæ civitatum et locorum (S. Sedi in temporalibus subjectorum), aliaeque quaecumque personæ, tum ecclesiasticae, tum saeculares, cuiusvis dignitatis

et ordinis, tractantes, consulentes, aut alias verba facientes de infederationibus aut alienationibus de civitatibus et locis . . . immediate ad Nos et Sedem praefatam spectantibus, et pertinentibus, etiam devolutis, etiam in feudum communiter et pluries dari solitis, etiam ex causa permutationis vel sub annuo censu aut canone, aut alias quomodolibet, etiam contemplatione meritorum erga Sedem praefatam, aut sub praetextu necessitatis vel evidenter utilitatis faciendis, seu de postulandis a Nobis et Sede praefata quibusvis personis . . . in Duces, Vicarios, Gubernatores seu quemvis alium titulum, ad vitam vel in perpetuum vel longum tempus aut etiam Sedis Apostolicae beneplacitum, civitatum et locorum praefatorum, ac propterea de eligendis oratoribus ad Nos et successores nostros super praemissis vel illorum occasione mittendis, proponentes, tam ipsi quam oratores munus hujusmodi recipientes, aut alii quicunque alienationes hujusmodi Romano Pontificie pro tempore existenti, per se vel alium seu alios, insinuantes vel suadentes eoipso sententiam excommunicationis incurvant, a qua, nisi ab ipso Pontifice, praeterquam in mortis articulo, absolviqueant."

Innocentius IX in cit. Constitutione *Quae ab hac Sancta Sede*, a principio referens integrum Const. Pii V, eamque ad exemplum trium Praedecessorum sua auctoritate confirmans, § 4 ita pergit: „Declaramus eadem Constitutione prohibitam fuisse, ac prohiberi omnem et quamcumque infederationem et alienationem civitatum, terrarum, oppidorum et locorum praedictorum, eidem Sedi tam immediate quam mediate subjectorum, non solum ne fiat, neve attentetur post eorum devolutionem, sed etiam antequam devolvantur, ac omnem et quamcumque in perpetuum vel ad tempus prorogationem et extensionem infederationum, investiturarum ac concessionum de dictis civitatibus, terris, oppidis, locis, nondum finitarum, ipsorumque incorporationem, quoad effectum impedienda alienationis, prorogationis et extensionis hujusmodi, non a die eorum devolutionis, sed a die ipsius Constitutionis, et etiam antequam illa devolvantur, ipso jure cum omnibus clausulis et decretis in praedicta Constitutione contentis, Camerae et Sedi Apostolicae factam censerit.”

Clemens VIII in Const. *Ad Romani Pontificis curam*, confirmans quae hac de re a Pio V et Innoc. IX constituta erant; derogans

insuper moderamini a Greg. XIV inducto (nimirum in Const. Pii V non prohiberi feudum nondum devolutum, quando necessitas aut evidens et vera Ecclesiae utilitas postulat iterum infundari); inter alia declarat; „cum hujusmodi casus absolutae necessitatis, aut verae et evidentis utilitatis facilius mente atque animo concepi et effungi, quam usuvenire possint, multo magis expedire omnem prorsus alienationum et investiturarum, prorogationum et aliarum concessionum, quomodocumque et sub quibuscumque causis et praetextibus attentandi viam omnino praeccludere, quam ob rarissimos casus, qui vix umquam contingere possunt, apertam relinquere.”

Tandem Alexander VII in Const. *Inter caeteras*, commemorans quae a Praedecessoribus suis quoad praefatum negotium ordinata fuerant, duo speciatim declaravit ac statuit. a) „Praefatas Pii V Litteras comprehendere non solum Principatus, Ducatus, civitates, castra, oppida, terras, arces, dominia et loca jurisdictionales et jurisdictionalia S. R. E. ac Sedis Apostolicae, in feudum, vicarium vel alium titulum tunc concessas et concessa:.... verum illas quoque et illa, quae numquam antea in feudum vel alio titulo concessa, sed per Cameram et Sedem Apostolicam immediate possessa fuerunt, vel tunc possidebantur.” b) Sub Litteris et Decretis de non alienandis et infundandis civitatibus et locis Sedis Apostolicae, illas quoque civitates ac loca comprehendendi, quae posteriori tempore, nominatim anno 1649 sub Innoc. X., Sedi Apostolicae unita et incorporata sunt. (Latius ibidem § 1 et 3.)

ART. XIV.

„Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum extremae unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque Parochi licentia.”

In Conc. Viennensi, uti videre est in Clementina 1^a *de privilegiis*, relate ad hanc facti speciem sequenti modo statutum fuerat: „Religiosi, qui clericis aut laicis sacramentum unctionis extremae vel Eucharistiae ministrare, matrimoniae solemnizare, non habita super his parochialis presbyteri licentia speciali, praesumpserint, excommunicationis incurvant sententiam ipso facto, per Sedem Apostolicam duntaxat absolvendi, quos etiam locorum Ordinarii (postquam de hoc eis constiterit) excommunicatos faciant publice

denunciare, donec de absolutione ipsorum eis fuerit facta fides.... Religiosis (tamen) illis, quibus est ab Apostolica Sede concessum, ut familiaribus suis domesticis, aut pauperibus in hospitalibus suis degentibus, Sacraenta possint ecclesiastica ministrare, nullum ex praemissis volumus quoad hoc praejudicium generari."

Facta hujus Decreti cum superiori Articulo comparatione compertum est, materiam illius in praesenti Const. partim esse conservatam, partim immutatam, partim terminatam seu declaratam. *Conservatam*: in utroque loco agitur de „Religiosis”; hac igitur censura ob ejusmodi factum non afficiuntur sacerdotes saeculares, nec Religiosorum novitii; imo nec illi attingi videntur, qui vota simplicia tantum habent, quia horum Instituta in odiosis aut poenalibus neque Regularia neque Religiosa appellantur. Cfr Avanzini in *Comment.* p. 101; item Marianus a Novana in *app. ad comp. Theol.* Thomae ex Charmes p. 657. In utroque supponitur „praeemptio” ex parte agentium; excusat itaque a censura hujus canonis quaevis ignorantia, etiam solius poenae, dummodo non sit affectata aut conjuncta cum gravi temeritate, uti superius iterato jam dictum est. In utroque subsistit limitatio in Statuto Viennensi expresse addita; quamvis enim in Articulo, de quo agimus, solus casus necessitatis in terminis excipiatur, putandum tamen non est, memoratam limitationem idecirco abrogatam aut sublatam esse. Id quod Religiosis sub poena excommunicationis heic prohibetur, intelligitur de *illicita* administratione, facta scil. absque Parochi licentia extra casus iisdem de jure permissos (confer Syn. Dioec. Buse. cap. XXVI al. 3^a, ubi referuntur quaedam hue spectantia). In utroque tandem dicitur, „clericis aut laicis;” hinc sequitur, Religiosos non incidere in hanc censuram administrando recensita Sacraenta aliis Religiosis, etiam diversi Ordinis: ratio est, quod in materia penalii non sit facienda extensio ultra propriam verborum significationem. Cfr Bonacina de *Cens.* in *part. D.* II q. IX p. V n. 12. — *Immutatam*: scilicet quantum ad matrimonii solemnizationem absque parochi licentia. Quum res illa in praesenti Articulo omittatur, attempo scopo hujus Constitutionis (de quo actum fuit nota 2^a in Prooemium), dicendum profecto est, ob hujusmodi illicitam matrimonii solemnizationem *excommunicationis* sententiam non amplius incurri; manente tamen suspensionis poena a Trid. sess. XXIV cap. I de ref. matr. inficta. Vide infra Tit. VI in fine. — *Terminatam*

seu declaratam: ibidem sermo est de licentia *speciali*; hic simpliciter dicitur „absque Parochi licentia.” Itaque, quidquid olim ea de re fuerit, ut Religiosi sic agentes a poena excommunicationis eximantur, satis impraesentiarum est quaevis Parochi, ejusdemve superioris in eadem materia, puta Episcopi aut Pontificis, licentia, etiam generalis, aut rationabiliter praesumpta; imo et licentia parochiano datâ suscipiendi Sacraenta a quolibet Religioso. Cfr Bonacina l. c. n. 4—6. Ibidem indeterminate dicitur „Sacramentum.... Eucharistiae ministrare;” hic additur „per viaticum.” Cessat ergo quaestio olim agitata: utrum sub excommunicatione reservata comprehendatur administratio Eucharistiae, non per modum viatici, sed causa devotionis facta? cfr Dens *de Poenit.* n. 230. Poena ista hodieum limitatur ad distributionem viatici. Nihil tamen hac ipsa Pii IX Constitutione immutatum fuit quoad actus *liceitatem*. Hac in re standum est antiqui juris dispositione: quid vero Religiosis in hac facti specie liceat vel non liceat, alibi in Tract. *de Euch.* n. 30 et 65 expendi solet. Consuli etiam potest opusculum cl. van de Burgt *de ecclesiis* p. I n. 257 sq.

ART. XV.

„Extrahentes absque legitima venia reliquias ex Sacris Coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae ejusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes.

Hoc canone partim innovatur poena, quae primum de mandato Pauli V a Cardinali Milleno, Urbis Vicario, in Decreto 24 Augusti 1613, et in altero anni subsequentis, rei illius obtutu lata fuit. In Decretis istis omnes et singuli, cuiuscumque conditionis et status, excommunicationi R. Pontifici reservatae subjiciuntur, qui reliquias, etiam in modica quantitate, ex coemeteriis, cryptis, vel catacumbis Romanis extraxerint; vel extractioni cooperati fuerint, auxilium vel favorem praestantes; vel qui illius loci, ex quo extrahantur, curam habentes, permiserint seu consenserint extractio- ni; ac tandem qui praefatas reliquias receperint, scientes extractas fuisse absque Pontificis licentia. (Vide latius Castro Palao *de Cens. Disp.* III p. XXX n. 22; item Bonacina *de Cens. in part. Disp.* II q. III p. XIII § Incidens.) Eadem de re Clemens X in Const. *Ex commissae* de die 13 Januarii 1672 in hunc modum statuerat: „Pro-

videre volentes, ut Sanctorum Martyrum corpora et reliquiae pie ac decenter et sine turpi quaestu ex hujus almae Urbis Nostrae et locorum vicinorum coemeteriis extrahantur praecepimus et mandamus, ut nemo ad extrahendas a coemeteriis praefatis reliquias accedat, nisi ejus rei facultatem habeat scripto, quod memorati Gasparis Card. moderni, seu pro tempore existentis in eadem Urbe Vicarii in spiritualibus Generalis sigillo munitum et illius manu subscriptum sit."

Patet inde, quid in Art. supra posito per verba „absque legitima venia” intelligatur: videlicet venia S. Pontificis aut Vicarii Urbis in spiritualibus. Patet insuper, ibidem solum agi de extractione reliquiarum Sanctorum *Martyrum*, quorum exuviae primorum saeculorum usu in memoratis locis reconditae sunt: ex quo cum el. Avanzini in *Comment.* p. 101 concludere licet, quid si quis visitans Romanas catacumbas, memoriae aut devotionis causa ex loculis apertis sibi sumeret quaedam ossa aut cineres, de quibus jam constat non esse Martyrum ossa aut cineres, praedictam excommunicationis penam non incurrat.

Quinam vero in posteriori Articuli membro, tanquam „auxilium vel favorem praebentes”, habendi sint, et qua tales censura memorata afficiantur, ex supradictis Tit. I Art. IV sub 4^o colligi potest. Quae ibidem de iis cooperandi modis enucleata sunt, etiam hic (mutatis mutandis) pro majori parte applicanda veniunt.

ART. XVI.

„Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimen criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.”

De communicatione cum excommunicatis — qua de re hoc et sequenti Articulo verba fiunt, atque etiam inferius Tit. IV Art. I et Tit. VI Art. II sermo est — heic sub respectu *penali* solum disseritur. An et quatenus, attento jure cum naturali tum ecclesiastico, habita praesertim ratione celeberrimi capituli *Ad evitanda* in Conc. Constant. lati, et a Mart. V comprobati, istiusmodi communicatio caeteris fidelibus *licita* aut *permissa* sit, alibi *de Cens. in specie* n. 14, et in praelect. canonieis (Soglia p. III § 168) ex proposito perpenditur.

Jam vero quod ad *poenas* seu censuras attinet, multa quidem in jure reperiuntur constituta, quae a tempore praesentium Litterarum aut abrogata aut limitata sunt. Ad normam earum ob hujusmodi illicitum consortium in quatuor tantum casibus supra indicatis censura ecclesiastica ipso facto contrahitur: videlicet duobus in casibus hoc et sequenti Art. descriptis excommunicatio R. Pontifici reservata; uno in casu, de quo Tit. IV Art. I, excommunicatio nemini reservata; uno etiam in casu, de quo Tit. VI Art. II, interdictum ab ingressu ecclesiae. (Plura hue pertinentia videsis in *Nouv. Rev. Théol.* T. IV p. 354—376; item *de Cens. in specie* n. 14.)

Hisce in antecessum dictis, pro notione Articuli, de quo agimus, tria prae caeteris animadvertenda sunt:

1^{um} concernit personam, quacum illico modo communicatur. Dicitur in textu: „cum excommunicato nominatim a Papa”. Itaque, quamvis *notorius* clerici percussor, cuius np. „factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo juris suffragio excusari”, in cap. *Ad evitanda* nominatim excommunicato aequiparetur, et qua talis pari modo vitari debeat, etiamsi specialiter et expresse denunciatus non fuerit; de eo tamen in praesenti Articulo non agitur. Persona, quacum illicite communicatur, *nominatim*, expresso scil. nomine per verba aut signa indubitate (cfr Ligorio L. VII n. 136), excommunicata sit, oportet. Haud satis quoque est, ejusmodi personam ab Episcopo aut alio Ecclesiae Praelato nominatim excommunicatam fuisse; *a Papa* sic excommunicata sit, necesse est. Quaeri vero potest, utrum sub memoratis verbis comprehendantur illi, qui a Papa non actu excommunicantur, sed denunciantur nominatim excommunicati ob crimen admissum, cui de jure excommunicatio latae sententiae, ipsoque facto incurrenda, annexitur? Putamus cum *Acta apud S. Sedem* T. VJ app. II p. 108 seq., eos pari modo hic comprehendi; quia ejusmodi personae, facta nominali ipsarum denunciatione, non secus ac illae, quae sine praexistente sanctione latae sententiae prima vice excommunicantur, vero ac proprio sensu habendae sunt *nominatim excommunicatae a Papa*.

2^{um} respicit objectum seu materiam, in qua communicatio cum excommunicato fieri debeat. Dicitur in textu: „in crimen criminoso”; h. e. in eodem delicto seu contumacia, ob quam excommunicatio lata, ac contracta fuit a priore delinquente. Cfr Ligorio L. VII n. 197.

^{3^{ium} spectat modum communicationis. Ad contrahendam poenam hujus canonis non sufficit quaelibet communicatio cum excommunicato; sed ea requiritur, qua eidem impeditur *auxilium* sive adiumentum materiale, vel *favor* seu quodvis commodum, ut erimen suum facilius aut tutius perpetret vel in eo persistat. — Quinimo quum vox *consilium* (qui communicandi modus in cap. *Nuper* 29 *de sent. excomm.* pari modo prohibetur) in moderna Constitutione omissa sit, hodieum a poena excommunicationis immunes haberi possunt, qui precibus, blanditiis aut promissis alliciendo, actionis utilitatem proponendo, aut alias, *consulendo* mere communicant. Cfr *Nouv. Rev. Théol.* T. IV p. 373.}

Caeterum ut censura hujus Articuli, suppositis praefatis conditionibus, ob ejusmodi communicationem re et opera contrahatur, tria insuper requiruntur aut supponuntur, quemadmodum juris interpretes adnotant in cap. *Nuper*, ex quo ipsa deprompta est: videlicet a) ut ipsa communicatio sit notabilis, seu mortaliter mala; ob levem quippe culpam excommunicatio major numquam incurritur. b) Ut communicatio fiat tempore, quo altera persona vere et realiter excommunicationi subjacet: securus non habetur communicatio in crimine *cum excommunicato*. c) Ut communicans noverit, alteram personam ob crimen istud excommunicationis vinculo esse obstrictam; quamvis enim particula *scienter*, quae in capit. citato legitur apposita, in praesenti Articulo non occurrat, *ejusmodi* tamen cognitio sub secundo implicite continetur, et ex eo legitimate deduci potest. „Necessarium est, inquit Suarez *de Cens.* Disp. XVII sect. II n. 5, ut sit communicatio cum eo, qui jam excommunicatus est,.... et consequenter ut is qui communieat, sciat alium esse excommunicatum; nam, si id ignoret, excusabitur a contumacia, et consequenter a censura, dummodo ignorantia talis sit, quae ad excusandum sufficit juxta principia . . . de censuris in communione” (cfr *Dens de Cens.* n. 8 et 9).

ART. XVII.

„Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes.”

Sanctio hujus canonis substantia tenuis convenit cum capitulo *Sig-*

nificavit 18 de sent. excomm., in quo Clemens III ad dubium sibi propositum sic respondeat: „Verum clericos, qui scienter et sponte participaverunt excommunicatis a Nobis, et ipsos in officiis receperunt, eadem excommunicationis sententia non dubitamus involvi: quos etiam pro beneficio absolutionis habendo ad Nos volumus cum literarum tuarum insinuatione remitti.” Duplex tamen differentia aut dissonantia adverti potest ac debet. Prima est, in textu praesentis Articuli expresse dici „in divinis”, quae verba antea in sumario seu inscriptione capituli allegati solum legebantur. Altera est, particulam „nominatim”, quae in praefato capitulo, saltem a tempore Mart. V, ex communi sententia tacite subaudiebatur (cfr Suarez de Cens. Disp. X sect. II n. 9), nunc in terminis apponi.

Pro ampliori superioris Articuli notione tria quaeri possunt: 1^o quod sit illius subjectum? 2^o quae sit ejus materia? 3^o quot et quae conditiones concurrere debeant, ut memorata poena realiter contrahatur? — Resp. ad 1^{um} Subjectum sunt omnes et soli clerici, qui crimen hic descripto sese commaculant: ex quo patet, propter ejusmodi participationem, utut illicitam ac vitiosam, censura non plecti laicos; etenim poenalis sanctio protrahi nequit ad personas in lege non expressas. Praeterea quum nomine clericorum, uti cum Bonacina notat Castro Palao de Cens. Disp. III p. 24 n. 3, in materia penali non veniant Religiosi, arbitrantur nonnulli, etiam clericos regulares censura ista haud obstringi: hoc tamen cum Filliucio et aliis probabiliter negandum censemus, eo quod terminus „clericos” in sua generalitate omnes clericos, cum regulares, tum saeculares, complecti videatur. Utcumque res ista se habeat, illud quidem certum ac compertum est, quodsi modo clerici regulares a poena hujus Articuli eximi queant, ipsos non secus ac clericos saeculares ob hujusmodi participationem incurrire *Interdictum*, de quo inferius Tit. VI Art. II sermo fit. — Ad 2^{um} Materia hujus canonis non est quaelibet communicatio „in divinis,” sed ea, quae committitur *recipiendo* personam, de qua agitur, in officiis, puta Missa, Sacramentis, sepultura ecclesiastica, aut alia divina functione. Particula copulativa *et* in canone apposita exprimit naturam seu modum communicationis, quae in casu requiritur, ut eapropter quispiam penali sanctione hujus Articuli feriatur. Potest inde cum Bonacina de Cens. *in part.* D. II q. V p. III n. 3 inferri: „si clericus non admittat ad divina, sed tanquam unus de

populo assistat officiis divinis cum excommunicato, non incurrit istam excommunicationem." — Ad 3^{um} Praeter conditiones jam expostas, scil. in ratione subjecti et materiae requisitas, tres aliae concurrere debent: nimur ut praedicta communicatio seu participatio fiat a) „*Scienter*,” quocirca, prout saepius jam notatum fuit, excusat hinc quaevis ignorantia, etiam crassa et supina, modo non sit affectata. b) „*Sponte*,” h. e. absque ullo metu vel timore, uti scribit Castro Palao l. c. c) „Cum personis a R. Pontifice *nominatim* excommunicatis,” quae np. qua tales, expresso ipsarum nomine per verba vel signa indubitata, sunt publice denunciatae seu *vitan*dae conformiter ad primam partem cap. *Ad evitanda*. Cum excommunicatis *toleratis*, etiam in sacris aut divinis, communicare, a tempore istius capituli nulli poenae ecclesiasticae obnoxium est.

~~~~~

Titulus III.

*Excommunicationes latae sententiae Episcopis sive
Ordinariis reservatae.*

„Excommunicationi latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae subjacere declaramus:

ART. I.

„Clericos in Sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.”

In Clementina unica *de consang. et affinit.* relate ad hanc materiam sic ordinatum legitur: „Eos qui (divino timore postposito in suarum periculum animarum) scienter in gradibus consanguinitatis et affinitatis constitutione canonica interdictis, aut cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur: nec non religiosos et moniales ac clericos in sacris Ordinibus constitutos matrimonia contrahentes, refraenare metu poenae ab hujusmodi eorum temeritatis audacia cupientes: ipsos excommunicationis sententiae ipso facto decernimus subjacere. Praecipientes ecclesiarum Praelatis, ut

illos, quos eis constiterit taliter contraxisse, excommunicatos publice tam diu nuncient, seu a suis subditis faciant nunciari, donec suum humiliter recognoscentes errorem separantur ab invicem, et absolutionis obtinere beneficium mereantur.”

Vetus haec disciplina per recentem Pii IX Constitutionem partim limitata, partim ampliata, partim aggravata fuit. *Limitata* est quantum ad duas priores causas supra recensitas. De contrahentibus in gradibus consanguinitatis aut affinitatis in moderna Const. nulla fit mentio: cessat igitur excommunicationis poena tali agendi rationi ante imposita. *Ampliata* est quantum ad impedimentum Ordinis et voti solemnis. Quodsi olim Religiosi, Moniales ac Clerici in sacris Ordinibus constituti matrimonium contrahentes, nee non alii cum *Monialibus* illud attentantes, excommunicationis sententia perstringerentur; hodiecum eadem poena plectuntur „omnes cum aliqua ex praedictis personis (scil. Clericis in sacris constitutis, Regularibus, aut *Monialibus*) matrimonium contrahere praesumentes.” *Aggravata* tandem est quoad poenae reservationem. Licet enim criminis istius rei ex *praescripto antiqui juris denunciandi* essent, donec suum agnoscentes errorem ab invicem separarentur etc., ipsa tamen illorum censura nemini erat reservata; nunc vero Episcopis seu locorum Ordinariis reservata declaratur. Videri hie possunt Suarez de Cens. D. XXIII sect. V n. 11; item Bonacina de Cens. in part. Disp. II q. II p. VII.

At vero, ut Clerici in sacris constituti, caeteraeque personae de quibus in superiori Articulo agitur, ob hujusmodi crimen excommunicationis poenae vere subjaceant, duo adsint, necesse est: scil. *praesumptio* seu temeritas ex parte agentium, et *matrimonium* seu contractus matrimonialis attentatio ex parte objecti: dicitur enim in singulo Articuli istius membro, „matrimonium contrahere praesumentes.” — Praesumptionis defectu a censura hac excusat quaevis ignorantia, etiam solius poenae, dummodo non sit affectata, aut conjuncta cum ingenti temeritate. Excusat quoque vis seu metus gravis, quocum forte res peracta fuit: enimvero si talis mentis trepidatio ex communi sententia generatim excusat a censura contrahenda; a fortiori, quando in casu particulari *praesumptio* ex parte delinquentis exigitur aut *praesupponitur*. — Ob defectum posterioris conditionis a censura immunis esset, si quae ex enuntiatis personis non matrimonium, ast sponsalia solum contraheret, vel

etiam in matrimonio absque praesumptione inito sciens persisteret: ratio est, quod in casu non punitur matrimonii promissio, aut ejusdem continuatio, sed contractus matrimonialis, sive, ut dicitur in textu, „matrimonium contrahere.” Quaeri tamen potest, utrum ad incurrendam praefatam excommunicationem sufficiat quilibet matrimonialis contractus, seu potius quaelibet istiusmodi contractus attentatio (verum quippe validumque matrimonium cum impedimento Ordinis aut voti solemnis haberi nequit), etiam illa quae in locis, ubi viget Trid. decretum sess. XXIV cap. I de ref. matr., coram magistratu civili tantum perficitur? Arbitrantur quidam juris explanatores, tali in casu matrimonialiter non contrahere, qui absque Parochi ac testium praesentia procedunt, et consequenter a poena hujus canonis eximi posse (vide Bonacina l. c. n. 16, et alios ibidem allegatos). Verum per verba „matrimonium contrahere,” intelligi nobis videtur quilibet contractus, qui matrimonii speciem seu figuram prae se ferat; ideoque cum cl. Avanzini in *Comment.* p. 107 opinamur, hac censura irretiri etiam eos qui, posthabito impedimento Ordinis aut voti solemnis, praefatis in locis matrimonium duntaxat civile contrahere praesumunt. „Quamvis (eiusmodi) matrimonium civile, uti merito ait auctor citatus, non sit matrimonium validum ob impedimentum dirimens, quod clandestinitatis appellamus, ex defectu formae ab Ecclesia sub poena nullitatis praescrip-
tae; est tamen contractus, qui juxta *naturae* leges esset verum matrimonium: ideoque licet per accidens, ob carentiam praescrip-
tae formae, sit nullum, in se tamen figuram matrimonii habet.”

ART. II.

„Procurantes abortum, effectu sequuto.”

Poenae, quibus procurantes abortum de jure subjiciuntur, sunt numero plures. Vide Dens *de jur. et just.* n. 135; Ligorio L. IV n. 395, et latius Reiff. L. V Tit. X n. 19 seq. Prae caeteris vero notanda est excommunicatio, quae materiam constituit Articuli supra descripti. Jam dudum anno 1588 Sixtus pp. V in Const. *Efsraenatam* — postquam § 1—6 nonnulla edixerat de aliis poenis quas ipso facto incurront, qui de eaetero per se aut interpositas personas abortum seu foetus immaturi, tam animati quam inanimati, formati vel informis, ejectionem procuraverint — § 7 ad poenam

excommunicationis gradum faciens , ea de re in hunc modum decrevit: „ut immanissimi hujus delicti gravitati non solum temporalibus , verum etiam spiritualibus poenis prospiciamus , ac provideamus , omnes et singulos cujuscumque status , gradus , ordinis , et conditionis existentes , tam Laicos quam Clericos , et saeculares et cujuscumque ordinis regulares , nec non mulieres saeculares et quemcumque ordinem professas , qui vel quae , vel uti principales , vel uti sociae , conscientiae ad tale facinus committendum , opem , consilium , favorem , potionem , vel alia cujuscumque generis medicamenta scienter dederint , ac etiam scribendo litteras privatas vel apochas , vel alias verbis , aut signis juverint , aut consuluerint , ultra praedictas poenas , ipso facto nunc prout ex tunc excommunicamus , et pro excommunicatis declaramus.” Dein , quibusdam interpositis , in fine § 8 subdit: „ac tam absolvendi , quam dispensandi facultatem hujusmodi etiam quoad forum conscientiae in casibus superius expressis , Nobis , et Successoribus nostris duntaxat reservamus.”

Rigorem hujus Constitutionis paulo post prid. Kal. Jun. 1591 ejusdem Successor Greg. XIV in Bulla *Sedes Apostolica* ex parte mitigavit , concedendo scil. facultatem a praedicta excommunic. absolvendi Episcopis ; imo et aliis confessariis a locorum Ordinariis ad hunc casum *specialiter* deputatis (cfr. Syn. Dioec. Buscod. p. 47) ; reducendo insuper poenas , in Sixtina Const. latae contra procurantes abortum foetus etiam *inanimati* , ad terminos juris communis , aliis verbis , restringendo poenas ibidem inficias ad procurationem abortus foetus *animati*. „Constitutionem praedictam (Sixti V) , ita dicitur in Bulla cit. § 2 et 3 , sic duximus moderandam , ut a peccato et excommunicatione contra personas ibi expressas lata , tam quoad eos , qui hactenus deliquerunt , quam quoad illos , qui post nostram Constitutionem in eisdem casibus deliquerint , quilibet presbyter , tam saecularis , quam cuiusvis ordinis regularis ad Christificandum confessiones audiendas , et ad hos casus *specialiter* per loci Ordinarium deputatus , plenam et liberam in foro conscientiae tantum , absolvendi habeat facultatem , eamdem prorsus quam idem Sixtus V predecessor Noster sibi , ac suis successoribus reservavit . — Quo vero ad poenas procurantium abortum foetus *inanimis* , aut exhibentium mulieribus , vel sumentium , venena sterilibus , aut quemque modo auxilium vel consilium eis dantium , in praedicta

Constitutione contentas, Constitutionem praefatam, in ea parte ubi de his agit, ad terminos juris communis, ac sacerorum canonum, et Concilii Tridentini dispositionem (sess. XIV cap. 7 de ref.), auctoritate Apostolica, tenore praesentium, tam quoad praeterita, quam quoad futura, perpetuo reducimus, perinde ac si eadem Constitutio in hujusmodi parte numquam emanasset."

Haec cum ita sint, quaeri potest, quaenam ad tramites Articuli supra enuntiati hodieum requirantur aut necessaria sint, ut quis ob hujusmodi facinus excommunicatione Episcopo seu Ordinario reservata innodetur? R. Certum primo est, requiri aut supponi verum ac proprie dictum abortum, seu praematuram foetus humani ejectionem, adeo ut mors ipsius inde sequi nata sit. Hic igitur non attingitur foetus mortui expulsio; nec etiam partus praematurus, uti vocant, quo np., prole jam vitali, ejusdem partus ad praevenienda majora pericula per artis remedia aliquantum anticipatur. Cfr. Carrière *de Just.* n. 754. Certum quoque est, requiri veram seu realem foetus praematuri ejectionem; adeoque non sufficere meram abortus attentionem, etiam directe volitam: dicitur enim in terminis „effectu sequuto.” Certum denique est, requiri veram ac proprie dictam abortus procurationem, qua np. quis data opera, sive studio et ex proposito, percussionibus, venenis, medicamentis, potionibus, eneribus laboribusque mulieri praegnanti impositis, aut aliis etiam incognitis vel maxime exquisitis rationibus, efficit, ut fetus prae mature ex utero pellatur. Quia vero de solis *procurantibus*, seu principaliter agentibus, hic sermo est, poena ista hodieum protendi nequit ad eos, qui consilio, consensu, aut aliis, etiam positive ac directe, ad crimen abortus mere cooperati sunt (confer dicta *de Cens. in gen.* n. 5). Committunt sane ejusmodi cooperatorates peccatum, quod ad normam Synodi Dioec. Buse. p. 46 sub 10^o Ordinario Nostro specialiter reservatum est (hoc enim ibidem expresse additur): verum ab uno ad aliud non valet consequentia. Hisce tanquam certis praesuppositis, duo sunt de quibus disceptari potest: nimur an nomine *procurantium*, de quibus in praefato Art. agitur, veniant 1^o qui abortum foetus *inanimatū* data opera procurarunt? 2^o Mulieres praegnantes, quae tali modo *proprium* foetum prae mature ejecerunt? Ratio dubitandi haec est, quod priores juxta moderationem a Greg. XIV inductam antehac excommunicationis sententia non afficerentur; posteriores vero multorum

judicio ab ea eximerentur, utpote quae in Const. Sixti V non satis expressae videbantur (cfr Lig. L. IV. n. 395 quaer. V); adeoque vix supponi possit, Pium IX in Const. nuper edita — cuius seopus non erat censoriarum ambitum pretendere, at potius statuere, „quasnam ex illis servare ac retinere, quas vero moderari aut abrogare congrueret” — eos omnes excommunicationis poenae in posterum subjicere voluisse. Quamquam haec ita sint, nihilominus cum Avanzini in *Comment.* p. 108 dicendum videtur, ipsos in praesenti memoratae censurae vere subjacere. Siquidem, ut verba ejus nostra faciamus, „in hoc Articulo nulla fit distinctio inter foetum animatum et inanimatum, atque ideo neque nos distinguere debemus. Indistincte pariter sub censura comprehenduntur *procurantes* abortum, ideoque sive ipsa foemina in se abortum procuret, sive quisque alius, nulla facta personarum distinctione, omnes in hanc censuram incident.” Dein — et hoc pro ista opinione urgeri potest — si verum sit, quod recentiores Physiologi passim affirmant, foetus animationem, sin minus ipso conceptionis momento, certo non multo post locum habere, tota illa distinctio inter foetum animatum et non animatum quasi obsoleta haberi potest. Quod autem mulieres praegnantes, quae abortum sibi procurant, non seus ac caeteri abortum procurantes, excommunicationem contrahant, jam pridem teste Ligorio l. c. communissima sententia erat. Demum tametsi Sanctitas sua hac ipsa Constitutione censoriarum numerum multum imminuerit plures tamen istiusmodi extensiones quoad personas aut casus sub illis contentos etiam alibi occurunt. Vide Art. I hujus Tituli, Art. XIII Tit. II, et alibi.

ART. III.

„Litteris apostolicis falsis scienter utentes, vel criminis ea in re cooperantes.”

Superius Tit. I Art. IX visum fuit, ob falsitatem in Litteris aut Rescriptis Apostolicis admissam tres personarum ordines excommunicationi R. Pontifici speciali modo reservatae subjacere, videlicet *falsarios*, *falso publicantes*, et *falso signantes*. Hoc loco recensentur duo alia hominum genera quae idcirco excommunicatione Episcopo seu Ordinario reservata feriuntur: nimirum „Litteris Apostolicis falsis scienter utentes, vel criminis ea in re cooperantes.”

Jam vero quod ad hos delinquendi modos attinet (quid enim per Litteras Apostolicas, earumque falsum intelligatur, supra l. c. expositum fuit), ea de re Innoc. III cap. *Ad falsariorum 7 de crim. falsi* hoc modo edixerat: „de communi fratrum nostrorum consilio duximus statuendum, ut qui Litteris nostris uti voluerint, eas primo diligenter examinent: quoniam si falsis litteris se usos dixerint ignoranter, eorum sera poenitentia evitare nequibit poenas inferius notatas qui sub nomine nostro litteris falsis utuntur, si clerici fuerint, officiis et beneficiis ecclesiasticis spolientur: si laici, tamdiu maneant excommunicationi subjecti, donec satisfaciant competenter: ita tamen ut in istis et in illis malitia gravius, quam negligentia puniatur. Quod et de his, qui falsas litteras impetrant, statuimus observandum.” — Ad normam modernae Constitutionis, nonnullis immutatis, ob ejusmodi factum excommunicationi Episcopo reservatae subjaceere dieuntur omnes et singuli, tam clerici quam laici (nulla enim fit distinctio), „scienter utentes, vel criminis ea in re (h. e. in usu istiusmodi scienter facto) cooperantes.” Quodsi ante juxta formam capituli praecitati „malitia gravius, quam negligentia” punienda esset, particula *scienter* in nova Constitutione adiecta luculenter innuit, ob hujusmodi usum aut cooperationem in usu falsarum Litterarum Apostolicarum hodiecum eos tantum excommunicationis vinculo innodari, qui *malitiose* seu mala fide, scienter et volenter, sic agunt. Cfr Pelletier in opere recenter edito *Decrets et canons du conc. oecum. et gen. du Vatican p. 267.*

~~~~~

Titulus IV.

Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae.

„Excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subiacere declaramus:

ART. I.

„Mandantes seu cogentes tradi Ecclesiasticae sepulturae haereticos notarios aut nominatim excommunicatos vel interdictos.”

Relate ad hanc materiam cap. 2 de *Haereticis* in 6^o sic statutum

erat: „Quicumque haereticos, credentes, receptatores, defensores, vel fautores eorum scienter praesumpserint ecclesiasticae tradere sepulturae, usque ad satisfactionem idoneam excommunicationis sententiae se noverint subjacere. Nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publice extumulent, et projiciant hujusmodi corpora damnatorum.” Dein cap. I *de Sepult. in Clement.* hoc modo legitur ordinatum: „Eos qui propriae temeritatis audacia defunctorum corpora non sine contemptu clavium Ecclesiae in coemeteriis interdicti tempore, in casibus non concessis a jure, vel excommunicatos publice, aut nominatim interdictos, vel usurarios manifestos scienter sepelire praesumunt: decernimus ipso facto excommunicationis sententiae subjacere: a quo nullatenus absolvantur, nisi prius ad arbitrium Dioecesani Episcopi eis, quibus per praemissa fuerit injuria irrogata, satisfactionem exhibuerint competentem.”

Perspicet quisque, facta horum cum Articulo superius relato comparatione, antiquam Ecclesiae disciplinam, quantum ad *poenam excommunicationis* propter indebitam sepulturae ecclesiasticae concessionem ipso facto incurrendae, impraesentiarum nonnihil esse relaxatam. Ad normam praesentis Constitutionis subjectum illius sunt soli „mandantes seu cogentes”, qui scil. a nemine coacti sponte sua sepulturae tradi mandant, vel alios ad sic agendum cogunt. Cfr dicta Tit. I Art. VII; item *Revue Cath. nouv.* série T. XI p. 263. — Objectum vero constituant duo tantum defunctorum genera: videlicet „haeretici notorii” seu qua tales publice noti, et „nominatim excommunicati vel interdicti”, qui np. qua tales, expresso eorum nomine per verba aut alia signa indubitata, a S. Pontifice, Episcopo aut alia competente auctoritate (hoc enim in casu idem est) sunt publice denuntiati. Vide supra Tit. II Art. XVI et XVII.

Caeterum advertas, velim, hic tantummodo agi de excommunicationis poena propterea incurrenda. Quid enim juris sit de sepulturae ecclesiasticae concessione in ratione *liceitatis*, alibi inquiritur *de Extr. Unct.* n. 19 et 20; item Soglia *Inst. jur.* p. III § 128. De poena *interdicti* vero infra Tit. VI Art. II erit sermo.

ART. II.

„Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliasve ministros S. Officii; ejusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes; vel praedictis qui-

buslibet auxilium, consilium, favorem praestantes."

Nomine *S. Officii*, Inquisitionis vulgo dicti, primo loco intelligitur institutio judicium a Sede Apostolica ad id deputatorum, ut in variis mundi partibus contra reos haereticae pravitatis procedant. Huic Tribunali, quod saec. XIII sub Innoc. III exordium sumpsit, affinis est Congreg. *S. Officii* seu Universalis Inquisitionis, quae anno 1542 sub Paulo III Romae fuit erecta, caeterisque tribunalibus istius nominis praeposita, ut finis per *S. Officii* institutionem intentus efficacius obtineretur. Videsis Bouix *de Cur. Rom.* p. 153—155. — Jam vero tribunalia ista, tam inferiora (si quae adhuc dentur), quam supremum Romae existens, protegere in exercitio muneris ipsis demandati, scopus ac finis est praesentis Articuli.

Rei illius obtutu *S. Pius V* in quodam extravaganti *Si de prolegendis* plura sub anathematis poena prohibuerat, ut videre est penes Bonacina *de Cens. in part. Disp. II q. II p. XIII.* Missis caeteris actionibus ibidem prohibitis, hodieum tres personarum classes ob hujusmodi delictum excommunicationis poena coercentur:

1^o loco veniunt omnes et singuli, ejuscumque status aut dignitatis (hac in re nihil immutatum fuit), „laedentes aut perterrefacientes”, modo scil. mortaliter malo, a) *Inquisitores* seu ipsos judices predicti Tribunalis; b) *denuntiantes*, qui np. crimen ad judices deferunt; c) *testes*, qui scil. in judicium vocati testimonium mere dieunt; d) *aliosve ministros*, seu functionarios secundarios, *S. Officii*.

2^o recensentur *ejusve sacri Tribunalis scripturas*, puta regista, acta et alia hujusmodi, *diripientes*, violenter auferentes, aut comburentes.

3^o allegantur *praedictis quibuslibet*, i. e. actionibus sub 1^o et 2^o propositis, *auxilium, consilium, favorem praestantes*. Quid tribus istis cooperandi modis, disjunctive sumptis uti patet ex Const. *S. Pii V*, intelligatur, colligi potest ex iis quae Tit. I Art. IV sub 4^o tradita sunt. Dubium hic solum est, utrum tres illi cooperandi modi secundarie tantum, an contra principaliter prohibeantur, adeo ut, auxilio, consilio aut favore praestito, excommunicatio contrahatur, quin laesio aut perterrefactio, direptio aut combustio, executioni data sit? Jam pridem jure antiquo rem ita se habuisse, ambigi nequit; siquidem in praecitata Const. *Pii V* in terminis di-

citur: „qui auxilium, consilium aut favorem publice vel occulte in quolibet praedictorum scienter praestiterit, licet nemo occisus, nemo verberatus, nemo extinetus, nihil expugnatum, nihil extrahendum, nullum denique damnum reapse sit secutum, nihilominus hic sit auathemate praesentis canonis ligatus.” Quia vero haec aut similia in Const. Pii IX non leguntur, hodie inhaerendum videtur regulae a Bonacina l. c. n. 4 propositae: „excommunicatio ob consilium, auxilium et favorem, regulariter loquendo, non incurrit ante praestitum effectum, cuius intuitu haec prohibentur.” Quodsi poena praefata cooperatorum respectu ex parte ista mitigata sit; ab altera parte in ratione modi, quo cooperatio fiat, magis intensa forsitan evasit; omittitur quippe in posteriore Const. particula *scienter*, quae antea in Const. Pii V apposita erat.

Caeterum advertas, tametsi Episcoporum quisque in sua Dioecesi vi ordinariae suae jurisdictionis verus Inquisitor sit sive, ut vulgo dicitur, Inquisitor *natus* appellari queat, et hac quidem de causa plures denunciationes jure praescriptae, „Inquisitoribus seu locorum Ordinarii” dicantur faciendae; nihilominus Inquisitorum nomine in rebus *poenalibus* non comprehendi Episcopos aut alios locorum Ordinarios, sed illos duntaxat judices, de quibus supra ab initio fuit actum.

ART. III.

„Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis, *Ambitiosae*, De Reb. Ecc. non alienandis.”

De rebus Ecclesiae non alienandis — quid scil. nomine ecclesiae, item alienationis in casu intelligatur; quae speciatim res seu bona sint, quorum alienatio jure interdicta est; quibus de causis rerum illarum alienatio quandoque valide ac licite fieri queat; quaenam solemnitates tali in casu servari debeant; quid nominativum juris sit de Beneplacito Apostolico praevie obtinendo, et in quibus casibus absque illo licite procedi possit; de hisce et aliis hujusmodi quaestionibus alibi in Prael. jur. canon. Soglia p. III § 112—118 copiose disseritur. Hoe itaque loco satis erit explanare, quid de poena excommunicationis (qua de re hic solum agitur) in Extrav. *Ambitiosae*, cuius ad formam a male alienantibus et recipientibus con-

trahenda dicitur, constitutum fuerit. Paulus pp. II, memoratis malis ex illorum cupiditate profluentibus, qui non metuant „immobilia et pretiosa mobilia Deo dicata” profanis usibus applicare, ibidem sic decernit: „omnium rerum et bonorum ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem et conductionem ultra triennium, nec non infederationem vel contractum emphyteuticum, praeterquam in easibus a jure permissis, ac de rebus et bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis et tunc ecclesiarum evidenti utilitate, ac de fructibus et bonis, quae servando servari non possunt pro instantis temporis indigentia, hac perpetuo valitura Constitutione praesenti fieri prohibemus. Praedecessorum nostrorum Constitutionibus, prohibitionibus et decretis aliis super hoc editis, quae tenore praesentium innovamus, in suo nihilominus robore permansuris. Si quis autem contra hujus nostrae prohibitionis seriem de bonis et rebus eisdem quicquam alienare praesumpserit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio et infedatio hujusmodi nullius omnino sint roboris vel momenti. Et tam qui alienat, quam is qui alienatas res et bona praedicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat: alienanti vero bona ecclesiarum, Monasteriorum, locorumque piorum quorumlibet, inconsulto Romano Pontifice, aut contra praesentis Constitutionis tenorem, si Pontificali vel Abbatiali prae-
fuigat dignitate, ingressus ecclesiae sit penitus interdictus.”

Facta hujus capituli cum Articulo supra descripto comparatione, pro recta ejusdem (Articuli) interpretatione et applicatione quatuor praeceteris adnotanda sunt: 1º a subjecto excommunicationis ibidem impositae excipiendo esse Episcopos atque Abbates: iis enim per oppositionem ad caeteras personas ob memoratum delictum ingressus ecclesiae jure pristino erat interdictus. Cfr Bonacina *de Cens. in part. D. II q. IV p. XI n. 12*; item Devoti *Inst. jur. L. II Tit. XIX § IV*. Haec tamen poena in praesenti Constit. Pii IX non fuit inserta; adeoque desiisse videtur. Cfr dicta in prooem. sub 3º.
— 2º Ex parte tam alienantium quam recipientium requiri aut supponi praeumptionem seu temeritatem in agendo. Quantum ad priores, seu alienantes, hocipsum in cap. *Ambitiosae* indicatur per verba „alienare praesumpserit”; quoad posteriores, sive recipientes, idem in praesenti Articulo denotatur verbis istis: „recipere prae-
sumentes.” Ex quo sequitur, utrosque, cum alienantes tum reci-

pientes, a praefata censura excusari propter ignorantiam juris, facti aut etiam solius poenae, modo non sit affectata aut conjuncta cum ingenti temeritate, quemadmodum iterato jam dictum fuit. — 3º In ratione actus supponi perfectam alienationem, secuta seil. traditione rei male venditae aut aliter alienatae. Hujus rei defectu ab excommunicatione probabiliter immunis esset indebito alienans, si poenitentia ductus factum suum revocaret ante realem traditionem. Vide Luc. Ferr. V. *Alienare* Art. VI n. 6; item Bonacina l. c. n. 14. — 4º Alienationem et receptionem bonorum ecclesiasticorum absque Beneplacito Apostolico impune fieri posse in casibus, qui in dicto *Extrav.* expresse excipiuntur, aut tacite supponuntur: puta ubi agitur de mobilibus non pretiosis, — vel de mobilibus pretiosis quae servando servari non possunt, — vel de rebus aut bonis ab antiquo in emphyteusim dari solitis, etc. Verbo in omnibus et singularis casibus, quibus non obstante *Extrav.* *Ambitiosae*, bonorum etiam immobilium alienatio ex communi doctrina sine licentia Sedis Apostolicae (servatis tamen reliquis conditionibus) valide licetque peragi potest. Cfr Soglia p. III § 114.

ART. IV.

„Negligentes sive culpabiliter omittentes denunciare infra mensem Confessarios sive Sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quisbuslibet casibus expressis a Praedecess. Nostris Gregorio XV Const. *Universi* 20 Augusti 1622, et Benedicto XIV, Constit. *Sacramentum Poenitentiae*, i Junii 1741.”

De sollicitatione ad turpia, gravissimo illo numquamque satis detestando flagitio, quod horribile dictu! in confessione Saeramentalis ejusdemve occasione aut praetextu aliquando committitur, in tract. *de Poenit.* n. 216. 217 compositò dicitur. Ibidem verba etiam fiunt de gravi obligatione, quae personae sollicitatae, tam mari quam foeminae, de jure incumbit, denunciandi confessarium aut sacerdotem a quo sollicitata fuit. — In Articulo, de quo agimus, sermo tantum est de poena excommunicationis a persona sollicitata ob neglectum istius obligationis incurrenda. Porro ut pateat, quando ex capite illo praefata censura vere ac realiter contrahatur, praepter principia a probatis auctoribus tradita, attendere juvat recen-

tem Instructionem S. Officii de die 20 Febr. 1867, in qua inter alia sic statuitur :

„ I. Personae sive mares sive foeminae, quaecumque illae sint, ad turpia sollicitatae in confessione vel occasione aut praetextu confessionis, rem ad Sanctam Sedem vel ad loci Ordinarium deferre debent.

„ II. Denuntiare oportet quemcumque sacerdotem, etiam jurisdictione carentem, sollicitantem in confessione vel etiam poenitentis sollicitationi consentientem, quamvis statim dissentientem de turpi materia loqui, illius complementum ad aliud tempus differentem et non praebentem absolutionem poenitenti.

„ III. Hujusmodi denuntiationes a nemine absque culpa lethali omitti possunt. Qua de re poenitentes debent admoneri; neque ab iis admonendis instruendisque eorum bona fides excusat.

„ IV. Sacerdotes ad saeras audiendas confessiones constituti, qui de hac obligatione poenitentes suos non admonent, debent puniri.

„ V. Poenitentes admoniti et omnino renuentes nequeunt absolviri; qui vero ob justam causam denuntiationem differre debent, camque quo citius poterunt faciendam spondent serioque promittunt, possunt absolviri.

„ VI. Denuntiationes anonymae contra sollicitantes ad turpia nullam vim habent; denuntiationes enim fieri debent in judicio, nempe coram Episcopo ejusve delegato cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii partes teneat, et cum juramento et cum expressione et subscriptione sui nominis, nec sufficit si fiat per apochas vel per litteras sine nomine et cognomine auctoris. Caeterum prohibetur ne in recipiendis denunciationibus, praeter judicem et notarium, virum utrumque ecclesiasticum, speciali et scripto exarata deputatione munitum, testes intersint. Cavendum quoque ne ex denunciantibus quaeratur, num sollicitationi consenserint; et convenientissimum foret, si de hujusmodi consensu, quantumvis sponte manifestato, nihil notetur in tabulis.

„ VII. Denunciationis opus est personale et ab ipsa persona sollicitata adimplendum. Verum si gravissimis difficultatibus impediatur, quominus hoc perficere ipsa possit, tunc vel per se vel per epistolam, vel per aliam personam sibi benevisam, suum adeat Ordinarii vel Sanctam Sedem per Sacram Poenitentiariam, vel etiam per hanc supremam Inquisitionem, expositis omnibus circumstan-

tiis, et deinde se gerat juxta instructionem quam erit acceptura. Si vero necessitas urgeat, se gerat juxta consilia et monita sui confessarii. Ast si nullo impedimento detenta denunciationem omnino renuat, in hoc casu aliquisque supra memoratis laudandus est confessarius, qui operam suam poenitenti non denegaverit, et vel Ordinarium vel Sanctam Sedem pro opportunis providentiis consuluerit, suppresso tamen poenitentis nomine. Formulas autem hisce in casibus adhibendas tradunt probati auctores, quos inter Pignatelli, tom. I consultat. 104, Carena, Albitius.”

Hisce in limine dictis, ipsum Art. supra positum per partes expendamus. Dicitur in eo

1^o *Negligentes sive culpabiliter omittentes denunciare infra mensem.* Verbis istis tria designantur aut supponuntur: a) Adesse easum, quo hujusmodi denunciatio de jure fieri debeat. Quocirca si forte, omnibus perpensis, fundate dubitaretur de existentia obligationis, puta an dictum vel factum constitutat veram sollicitationem, vel an actus sollicitationis sit graviter malus, etc. benignior sententia admitti poterit secundum reg. 49 juris in 6^o „In poenis benignior est interpretatio facienda.” Cfr Ligorio L. VI n. 683 et 702, item *Homo Apost.* Tract. XVI n. 180. — b) Denunciationem in easu, quo de jure fieri debet, a persona sollicitata *negligi sive culpabiliter omitti*. Quamvis persona sollicitata de se sub gravi obligetur ad denunciationem etiam cum periculo infamandi denunciatum, aut incurriendi ejusdem indignationem et increpationem; imo et in bona fide degens de hac obligatione a confessario admonenda sit, etiamsi nullus fructus inde sperari possit, (cfr Instr. all. S. Off. § III; item Lig. L. VI n. 694): fieri tamen potest, quod nondum admonita ob legis ignorantiam aut similem causam a culpa non factae denunciationis excusat, vel quod in easu pecuniali ob speciales difficultates adsit justa causa denunciationem ad tempus differendi (cfr Instr. allegata § V). Fieri etiam potest, quod ejusmodi persona, etsi nullo impedimento detenta, quominus denunciationem per se faciat, aut saltem per epistolam a se subscripatam, vel per aliam personam sibi benevisam Ordinarium loci aut S. Sedem adeat, ob singularem verecundiam aut aliam ejusmodi causam adduei nequeat ad hanc suam obligationem exequendam: quo in easu (dilata interim Absolutione, uti notat Ligorio VI n. 699) juxta laudatam Instr. S. Off. § VII laudandus esset confessarius,

qui operam suam poenitenti non denegaverit, et vel Ordinarium, vel S. Sedem pro opportunis providentiis consuluerit. In hisce aut similibus casibus, quia negligentia sive culpabilis omissio non censetur adesse, a poena quoque excommunicationis excusatio daretur.

— c) Neglectum sive culpabilem omissionem denunciationis *ultra mensem* protrahi. Mensis ad denunciandum utilis incipit seu computari debet a die certae notitiae obligationis suae (confer Decret. S. Off. 10 Martii 1677 apud Lig. VI n. 693). Ista vero obligatio duplex est, scil. tum ad denunciandum, tunc ad denunciandum infra mensem: consequenter si forte quis, cognoscens primam obligationem tantum, ultra mensem differret, non illico in excommunicationem incideret; si tamen, elapso jam mense ab ea cognitione, de altera obligatione certior fieret, non posset denuo denunciationem per alium mensem differre, sed eam quamprimum facere tenetur. Denunciationem tali in casu etiam paucis diebus culpabiliter differendo, vero sensu „negligens sive culpabiliter omittens” reputabitur. Cfr Avanzini in *Comment.* p. 114.

Dicitur 2º *confessarios sive sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia.* Hisce verbis quatuor supponuntur ac denotantur: a) Persona denuncianda *confessarius sive sacerdos* sit oportet. Itaque licet et clericus non sacerdos, imo et laicus confessarium se simulans, juxta aliud Decretum Greg. XIII pari modo denunciandi sint; persona tamen ab iis sollicitata propter neglectum seu culpabilem omissionem denunciationis poenam hujus Articuli non contraheret. Cfr Salmant. *de praec. Decal.* cap. IV n. 27. 28. — b) Persona denunciationem omittens *ipsam* a confessario seu sacerdote sollicitata sit, necesse est. Consequenter, etsi juxta Edictum S. Inquisitionis, quod refert S. Lig. VI n. 680 in fine, ad denunciationem teneantur, non tantum illi, qui sollicitati fuerint, sed etiam alii qui scientia extrasacramentali, et salvo secreto consili, certo noverint aut compererint, sollicitationem hujusmodi locum habuisse; hi tamen omnes ob denunciationis negligentiam excommunicationis poena non afficiuntur: sanctio poenalis, prout saepe jam dictum est, de casu ad easum non est extendenda. Ab altera vero parte opus non est, ut confessarius sive sacerdos prior sollicet, etiam *consentiens* poenitentis sollicitationi sub poena excommunicationis denunciari debet, *saltem* in casu a S. C. Inquisitionis in resolutione anni 1661 delineato, ac rursus proposito in recenti Instruct. ejusdem Congr.

superius relata § II. Plura hue spectantia videri possunt in *Vindictis Alphonsianis* p. V q. 20. — c) Sollicitatio *ad turpia*, sive carnalia et venerea, facta sit requiritur. Unde sollicitatio ad injus-
titiam aliave peccata a venereis diversa, utut damnabilis, sub hac
lege non comprehenditur. Continentur vero omnes actus venerei
mortaliter mali, etiam turpiloquia, seu illiciti et in honesti sermo-
nes. — d) Exigitur tandem, ut hujusmodi sollicitatio commissa sit
in confessione sacramentali, ejusdemve occasione vel praetextu (in-
fra sub 3). Quapropter denunciatio, de qua agimus, haud obligat
casu quo praedicta sollicitatio in administratione alius sacramenti,
ejusdemve occasione aut praetextu patrata esset.

Dicitur 3º *in quibuslibet casibus expressis* etc. Casus in Const.
Greg. XV expressi sunt sequentes: „omnes et singuli sacerdotes,
tam saeculares, quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum
ac Sedi Ap. immediate subjectorum Ordinum, Institutorum, Socie-
atum et Congregationum regulares, cujuscumque dignitatis et prae-
minentiae, aut quovis privilegio muniti existant, qui personas,
quaecumque illae sint, ad in honesta, sive inter se, sive cum aliis
quomodocumque perpetranda, in actu sacramentalis confessionis,
sive antea vel post immediate, seu occasione vel praetextu confes-
sionis hujusmodi etiam ipsa confessione non sequuta, sive extra
occasionem confessionis in confessionario aut in loco quocumque
ubi confessiones sacramentales audiuntur, seu ad confessionem au-
diendam electo simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare vel
provocare tentaverint, aut cum eis illicitos et in honestos sermones
sive tractatus habuerint.” Casus in cit. Const. Bened. XIV expressi
ita se habent: „qui aliquem poenitentem, quaecumque persona illa
sit, vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante vel immediate
post confessionem, vel occasione, aut praetextu confessionis, vel
etiam extra occasionem confessionis, in confessionali sive in alio
loco ad confessiones audiendas destinato aut electo, simulatione au-
diendi ibidem confessionem, ad in honesta et turpia sollicitare ve
provocare sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per
scripturam, aut tunc aut post legendam, tentaverint, aut cum eis
illicitos et in honestos sermones vel tractatus temerario ausu habue-
rint.” Legenti palam erit, casus in utraque Constitutione expres-
sos, substantia tenus eosdem esse. Id quod in una implicite vel
obscure continetur, explicite et clare magis in altera pronuntiatur.

„Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacro-sanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis solutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis poena in Decreto Sess. IV. *De editione et usu Sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subjacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.”

In comperto est, alias excommunicationes a Conc. Trid. statutas seu inductas fuisse; alias vero ab ipso solum innovatas seu de novo propositas esse. Sic v. g. sess. XXI cap. I de ref. dicitur: „qui secus fecerint poenas a jure infictas ipso facto incurrant.” Capite sequente ita legitur: „antiquorum canonum poenas super his innovando.” Et sic porro. Quaeri igitur potest, de quibus excommunicationibus hic sermo sit? Cum cl. Avanzini in *Comment.* p. 155 seq. opinamur, priores, quae np. ab ipso Trid. primùm latæ sunt, tantum intelligi. In verbis supra relatis inter alia dicitur: „quos sacrosanctum Concilium Tridentinum excommuni-carit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus.” Ea loquendi ratio satis indicat, hic non agi de excommunicationibus a Trid. renovatis, sed ab eo latis seu primùm statutis. Dein ipse etiam seopus praesentis Constitutionis — qui est, ut certus determinatusque censurarum numerus haberetur, ne sicut olim per incertos censurarum anfractus vagari cogeremur — ejusmodi interpretationem pariter suadere videtur; secūs enim incommoda ista non satis ablata forent. De hujusmodi excommunicationibus a Trid. lati, illud insuper adnotandum est, quod iis in casibus, quibus certum delictum tūm in hac ipsa Constitutione tūm a Conc. Trid. sub poenā excommunicationis coercetur, non tamen duplex excommunica-tio propterea contrahatur. Hoc ipsum edocemur ex Responso S. U. I. Congregationis de die 8 Julii 1874. „Qua parte (sic quaeritur ibidem) Tridentinae censurae a Const. *Apostolicae Sedis* confirmatae adhuc vigeant? Quod idem est ac quaerere an peccans in mate-ria, quam et Constitutio *Apostolicae Sedis*, et Conc. Trid. attin-gunt, in duplice excommunicationem incidat.....? Et proinde an usurpatores bonorum ecclesiasticorum (de quibus agitur Tit. I Art.

XI) duplici innodentur excommunicatione? Resp. *Negative. Videlicet usurpatores bonorum ecclesiasticorum innodari sola excommunicatione R. Pontifici specialiter reservata.*” Cfr Revue des sciences eccl. Tom. 34 pag. 375. — Locus hic esset referendi et inserendi varias excommunications, quas Trid. primùm statuit; verùm ne textus interpretationio nimis interrumpatur, eas infra per modum appendicis subnectemus.

Quoad limitationem in superiori epilogo a verbo „*excepta . . .*” appositam, quatuor prae caeteris animadvertenda sunt:

1º Per „libros de rebus sacris tractantes” idem intelligi quod in ipso Trid. Concilio verbis istis significatur, uti ex ipso textu manifeste patet. Quid autem verbis istis Trid. Conc. intellexit? Respondet Avanzini in *Comment.* p. 116: „libros sacrae scripturae et eorumdem librorum adnotationes et expositiones.” Haec praesertim intelligi nemo certe inficiabitur; verùm pace illius cum Bonacina de *Cens. in part.* D. II q. II p. XVI n. 3, Castro Palao de *Cens.* D. III p. XXXVI n. 1, Heijmans de *eccl. Lib. proh.* n. 195 et aliis, arbitramur isthic idem innui, quod in Bulla *Coenae* § 1 per verba „libros de religione tractantes”: libros scil. et minora etiam opuscula, in quibus ex professo, non incidenter seu obiter tantum disseritur de quavis re sacra, puta de S. Scriptura, de articulo fidei, de rebus ad cultum Dei vel Sanctorum spectantibus, de re Theologica aut ascetica, etc. Sententia haec confirmari potest, aut certe magis congruit cum quadam Declaratione S. C. C., cuius minit Reiff. L. V T. VII n. 43, et quam ex Marzylla in extenso referunt scriptores *Nouv. Rev. Théol.* T. II p. 615. Sac. Congr. interrogata quoad Decretum Trid. sess. IV de *editione* etc. respondit, sub eo comprehendti „etiam lectiones, annotationes, disputationes, cōciones, et alia similia, nec non tractatus pertinentes tum ad cōfessionem, tum ad quietationem conscientiarum, stimulationem fratrum, et caetera hujusmodi.” Unde et Conc. Prov. Ultraj. p. 114, postquam omnes monuit, clericis vero expresse mandavit, ne libros edant de sacrī rebus pertractantes, antequam ab Antistite Dioecesano rite licentiam obtinuerint, in terminis subjungit: „quod et intelligi debet de libris, precum formas, aut devotionis exercitia, aut miraculorum narrationes continentibus, nec non de libris ritualibus vel liturgicis.”

2º Inter Trid. Decretum et praesentem Const. magnum dari discriben in ratione actionum, quae excommunicationis poena cohibentur. Illic decernitur: „nulli liceat imprimere, vel imprimi fa-

cere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris , neque illos in futurum vendere , aut etiam apud se retinere , nisi primum examinati probatique fuerint ab Ordinario , sub poena anathematis et pecuniae in canone Concilii novissimi Lateranensis apposita..... Qui autem scripto eos communicant , vel evulgant , nisi antea examinati probatique fuerint , eisdem poenis subjaceant quibus impressores." Hie vero dicitur: „cui (anathematis poenae) illos tantum subjacere volumus , qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt , aut imprimi faciunt." Itaque hodie dum — manente obligatione quoad caetera — cum respectu ad praefatos libros (aliud quippe est in casu , de qua Tit. I Art. II sermo est) duae tantum actiones sub excommunicatione coercentur , videlicet eos *imprimere* , qua de re superius l. c. actum fuit , et *imprimi facere* , seu curare ut typis mandentur , effectu secuto. Cfr Bonacina l. c.

3^o Obligationem obtainendi prævie Ordinarii approbationem incurrere iis , qui ejusmodi libros de rebus sacris tractantes imprimunt aut imprimi faciunt. Quocirea si forsan auctor scripta sua vendiderit , aut aliás alienaverit , non ipse , sed qui ea imprimit aut imprimi facit , memoratam licentiam acquirere tenetur. Vide *Acta apud S. Sedem* T. VI p. 146 in app.

4^o Poenam excommunicationis , de qua h̄ic agitur , non esse extendendam ad eos , qui tales libros sine Ordinarii approbatione editos legerint , retinuerint , aut defenderint. Ex regula 15 et 49 juris in 6^o „Odia convenit restringi." „In poenis benignior est interpretatio facienda." Cfr Heijmans op. cit. n. 194.

Titulus V.

Suspensiones latae sententiae Summo Pontifici reservatae.

ART. I.

„Suspensionem ipso facto incurunt a suorum Beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum aliquie omnes , qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis , seu Monasteriis apud

eandem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione.”

Hoc canone instauratur, quod cap. *Injunctae nobis 1 de elect.* *inter communes* eodem fere modo de illegitima seu indebita Episcoporum, aliorumque Praelatorum receptione sancitum erat. Ibidem — lata prius lege, ne Episcopi aut alii Praelati, qui apud Sedem Apost. promoventur, aut confirmationis, consecrationis, vel benedictionis munus recipient, ad commissas eis ecclesias aut monasteria absque dictae Sedis litteris, eorum promotionem, confirmationem, consecrationem seu benedictionem continentibus, accedere, vel bonorum ecclesiasticorum administrationem accipere praesumant; nullique ipsos absque dictarum litterarum ostensione recipiant, aut iis pareant — cum respectu ad censuram, de qua agimus, sic decretum legitur: „capitula vero et conventus ecclesiarum et monasteriorum ipsorum et alii quicunque, ipsos absque hujusmodi dictae Sedis Litteris recipientes vel obedientes eisdem, tamdiu sint a beneficiorum suorum perceptione suspensi, donee super hoc ejusdem Sedis gratiam meruerint obtinere.”

Cuivis Decretum hoc cum Art. supra descripto comparanti perspicuum erit, *subjectum* et *naturam* suspensionis propterea incurrandae prorsus eadem esse; discrimen vero haberi in ratione *objecti* seu *actionis* quae hujusmodi censura plectitur. Ibidem a suorum beneficiorum perceptione suspenduntur tum recipientes tum obedientes; hic autem recipientes tantum. Ibidem in litteris ante exhibendis sermo est de promotione, confirmatione, consecratione et benedictione; hic autem de sola promotione: haec tamen differentia simulata potius, quam vera censeri potest, quum terminus „promotione” genericus sit, adeoque caetera per se complecti videatur.

Advertendum postremo est, quod memorata suspensio sit *partialis* tantum, sive, uti in textu dicitur, *a suorum beneficiorum perceptione*. Haec igitur qua talis protendi non debet ad officii seu muneris exercitium; imo nec ad perceptionem aliorum bonorum non beneficialium; confer *de Cens. in specie* § II. Dubitari praeterea posset, utrum capitula et conventus ob praefatum delictum suspendantur a perceptione beneficiorum, quae capitulariter seu in communi possident, an potius quae singuli eorum obtinent? Attento, quod non solum capitula ac conventus, sed et *alii omnes* poena

ista perstringantur, omnino dicendum videtur, alterutrum vel utrumque pro culpae diversitate contingere: nimirum capitulum aut conventum ob hujusmodi crimen suspendi a beneficiis in communi possessis; singulos vero de capitulo aut conventu, prout np. sonentes vel insontes fuerint, suspendi aut non suspendi a perceptione beneficii, quo singulariter donati sunt. Cfr Bonacina *de Cens. in pari.* D. III q. IV p. X n. 4; item Ligorio L. VII n. 317.

Nota. Cum materia hujus Articuli quodammodo connectitur Constitutio Pii IX *Romanus Pontifex* 5 Kal. Sept. 1873. Haec igitur Constitutio (in App. XII ad Syn. Dioec. Buscod. in extenso relata) hic pro inserta habeatur.

ART. II.

„Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo Beneficij vel patrimonii cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.”

Greg. IX cap. *Si quis 45 de simonia* hujus rei respectu in hunc modum statuerat: „si quis ordinaverit seu ad ordinem praesentaverit aliquem, promissionem vel juramentum ab illo recipiens, quod super provisione sua non inquietet eundem, ordinator a collatione, praesentator vero ab executione ordinum per triennium, et ordinatus ab ordine sic suscepto, donec dispensationem super hoc per Sedem Apostolicam obtinere meruerint, neverint se suspensos.” Deinceps — ut alia missa faciamus — Urbanus VIII in Const. *Secretis* 11 Dec. 1624 illos etiam suspenderat, „qui cum falsis vel fictis aut fiduciariis patrimonii titulis scienter se ad ordines promoveri fecerint.”

Hae juris dispositiones, ut legenti patet, a S. Pont. Pio IX in hac sua Constitutione ex parte tantum innovatae sunt: siquidem ob hujusmodi vitium quoad titulum ordinationis in posterum suspensionis poenam ipso jure incurrunt soli *Ordinantes*, et quidem in casu supra delineato tantum. Ut autem casus iste vere adsit, duo copulare postulantur aut supponuntur: a) Ipsum ordinatum ad titulum *beneficii vel patrimonii* SS. Ordinibus fuisse initiandum. In caeteris casibus, v. g. ubi agitur de Regularibus solemniter professis qui de jure titulo *paupertatis* legitimate ordinantur, vel etiam de aliis clericis, quibus speciali Indulto Sedis Apostolicae concessum est, ut particulari quodam titulo, puta Congregationis, Missionis, Men-

sae communis, etc. (Cfr Soglia *Instit. can.* p. III § 55) ad SS. Ordines rite promoveri valeant; istiusmodi ordinatio absque titulo beneficii vel patrimonii licite et impune perficeretur. b) Ordinantem inter et ordinatum iniiri pactum seu conventionem, ut ordinatus non petat ab ipso alimenta. Secluso tali pacto, culpanda sane esset ordinatio contra juris praescriptum absque titulo beneficii vel patrimonii peracta; ipse tamen Ordinans poenam hujus Articuli, „suspensionem per triennium a collatione ordinum”, non incurreret.

Nota. Quae hoc et seq. Articulis edieuntur de suspensione ab *Ordinantibus* contrahenda, intelligi videntur, non de Episcopo mandatario tantum, sed principali qui per se aut per alium ordines indebit contulerit secundum reg. 72 juris in 6 „qui facit per alium, perinde est, ac si faciat per seipsum.” Cfr. Reiff. in reg. citatam n. 3—5; item Avanzini in *Comment.* p. 140.

ART. III.

„Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso jure incurront ordinantes alienum subditum etiam sub praetextu Beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus.”

Pro notione eorum, quae hoc canone statuuntur, recolenda sunt quae alibi in Inst. jur. can. (Soglia p. III § 43—47) latius evolvuntur: videlicet *proprium* ordinationis Episcopum dici et esse, cui ordinandus subest ratione originis, aut domicilii, aut beneficii, aut familiaritatis. Patet inde, quis in causa ordinationis alienus, quis proprius subditus habendus sit. *Alienus* dicitur, qui Episcopo ordinanti nullo ex praefatis modis subjicitur; *proprius* vero, qui eiusdem jurisdictioni uno aut alio modo obnoxius est. Quia vero titulus *beneficii* a voluntate Episcopi plurimum pendet; idcirco, ut omnis collusio aut deceptio hac in re praescindatur, sub poena suspensionis per annum ab ordinum administratione prohibentur Episcopi hujuscemodi etiam titulo ordinare *alienum* subditum absque litteris dimissorialibus sui Episcopi, nisi beneficium statim con-

ferendum, aut jam collatum, tale ac tantum sit, quod juxta canones, aut certe juxta taxam moremve Dioecesis, in qua situm est, *sufficientes* redditus ad congruam vitae sustentationem praebat. Quia insuper facile contingere potest, quod *proprius* etiam subditus, qui alibi certo temporis spatio moram traxit, ibidem impedimento quadam canonico irretitus fuerit; ideo, ut de libertate et immunitate ordinandi magis constet, sub pari poena cohibentur Episcopi talem subditum, etiam vero ac sufficienti titulo, ad ordines promovere absque litteris testimonialibus Ordinarii ejus loci.

Pro uberiori horum explanatione duo speciatim examinanda sunt: 1^o utrum in prima hypothesi beneficium insufficiens impune suppleri queat per patrimonium ipsius ordinandi? R. Negative „Licet vero clericus (sic decernitur in Const. Innocentii XII *Speculatorum* § 8) ratione eujusvis beneficii in aliena Dioecesi obtenti subjici dicatur jurisdictioni illius Episcopi in eujus Dioecesi Beneficium situm est, eam tamen de cetero hac in re inconcusse servari volumus regulam, ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendo ordines acquirere censeatur, nisi Beneficium praedictum ejus sit redditus, ut ad congruam vitae sustentationem, sive juxta taxam synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem regionis, pro promovendis ad sacros ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab ordinando pacifice possideatur, sublata quacumque facultate supplendi quod defecerit ex fructibus ejusdem beneficii cum adjecione patrimonii etiam pinguis, quod ipse ordinandus in eadem seu alia quavis dioecesi obtineret.” Dicendum ergo, quod Episcopus etiam tali in casu censeatur ordinare „alienum subditum sub praetextu beneficii..... minime sufficientis”; atque adeo poenae, de qua in priore parte hujus Articuli sermo est, vere subjaceat. 2^o Quanto temporis spatio *proprius* subditus alibi commorari debuerit, ut ad tramitem posterioris partis reputetur impedimentum canonicum ibidem contrahere potuisse; adeoque ante ejusdem ordinationem sub poena suspensionis Litterae testimoniales Ordinarii ejus loci obtainendae sint? R. Tempus istud nullibi, quod sciām, in jure definitum est. Hoc tamen cum cl. Avanzini in *Comment.* p. 130 statui potest: „sermonem non esse de philosophica possibilitate (canonicum enim impedimentum potest contrahi per brevissimum morae spatium); sed de possibilitate *juridica*, quae juxta locorum et personarum circumstantias frequentius exsecutioni man-

datur.” Cl. Vecchiotti in suis *Inst. can.* L. V § 21 ea de re verba faciens, affirmare non dubitat: „Episcopus (proprius) non tam rigide testimoniales (litteras) exigere debet, ut arbitrio locus non sit, seu potius judicio eas hand exposcendi in quibusdam eventibus, in quibus nullum contrahi potuisse impedimentum facile conjiciatur.” Ad haec ipsem Lucidi (*de visit. sac. Lim.* T. I p. 162) cum Honorantes „ea in sententia est, ut aetas ad impedimenta contrahenda capax ea sit, quae infantiam seu septennium excesserit; talis enim aetas doli capax esse potest, et insuper communis doctrina tradit, ejus aetatis adolescentulos censuras a jure vel homine statutas incurrire posse.”

In praefatis exhibentur duo casus, in quibus ob litterarum dismissionarium aut testimonialium parentiam ipsi ordinantes poena suspensionis S. Pontifici reservata plectuntur. Cum respectu ad hanc materiam duo alia Decreta hic notanda sunt. Primum concernit ordinationem *alieni* subditi in genere: qua de re in Conc. Trid. (cujus dispositio etiam hodie viget, vide infra Tit. VI Art. II in fine) sess. XXIII cap. 8 de ref. sic statuitur: „unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam eujusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii praetextu, etiam statis temporibus permittatur, nisi ejus probitas ac mores, Ordinarii sui testimonio, commendentur. Si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum et ordinatus a susceptorum ordinum exsecutione quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.” Alterum spectat promotionem ad ulteriores ordines ratione ac titulo ejusdemque Beneficij, etiam veri ac sufficientis, in Dioecesi ordinantis rite obtenti, si forte ordinandus legitime jam a proprio Episcopo in ratione originis aut domicilii ad clericalem tonsuram seu etiam ad minores ordines promotus fuerit. Hac de re in Const. Innoe XII *Speculatores* § 7 sic decernitur: „Clericum, qui legitime jam a proprio Episcopo ad eamdem clericalem tonsuram seu etiam minores ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo ratione ac titulo ejusdemque Beneficij in illius Dioecesi obtenti ad ulteriores promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem testimoniales litteras proprii Episcopi tam originis quam domicilii super suis natalibus, aetate, moribus ac vita sibi concedi obtinuerit, easque Episcopo ordinanti in actis illius curiae conservandas exhibuerit.” Plura hue pertinentia — quo-

modo scil. Litterae dimissoriales et testimoniales inter se differant; in quibus casibus singulae requirantur; qua forma aut modo pro casus diversitate conficiendae sint, etc. — tradunt canonum interpretes ad Tit. XI Libri I Decret. Videri etiam possunt Luc. Ferar. *Biblioth.* V. *Ordo Art. III*; Monacelli *Formularium* Tit. III et IV; Lucidi *de visit. sac. Lim.* Tom. I p. 144—181 et alii.

ART. IV.

„Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso jure incurrit, qui, excepto casu legitimi privilegii, Ordinem sacram contulerit absque titulo Beneficii vel patrimonii Clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emititur, vel etiam religioso nondum professo.”

Concilium Trid. sess. XXI cap. 2 de ref. agens de titulo, quo clerici saeculares (secluso speciali Indulto Sedis Apostolicae) ad SS. Ordines promoveri possint ac debeant, nihil dispositus de clericis regularibus, volens hac in re servari primaevam Ecclesiaē consuetudinem, secundum quam iisdem titulus erat ipsa religiosa professio, vi cuius, abdicata rerum omnium proprietate, vel ex redditibus bonorum, si quae ipsa religio possideat, vel ex piis fidelium largitionibus, omnia communia habent. Paulo post S. Pius V in Const. *Romanus Pontifex* § 2—4, ad removendos abusus eorum qui se jactabant Religiosos et Regulares, quamvis professionem in aliqua approbata Religione non emisissent, decrevit ac statuit: ut etiam Regulares non professi promoverentur ad titulum Beneficii vel patrimonii vel pensionis, et non aliter, sub poena suspensionis a contrafacentibus, sive ordinantibus, sive ordinatis, (diversa tamen ratione) incurrendae. — Professio de jure praerequisita, ut Regulares titulo paupertatis SS. Ordinibus rite initientur, *solemnis* sit, oportet: haec enim, et non alia, ubi nihil additur, per se intelligitur. Unde et S. Sedes, cum ea de re post Decretum *Neminem latet* 19 Martii 1857 — quo inter alia ordinatur, ut „peracta probatione et novitiatu . . . Novitii vota simplicia emitant; . . . Professi (vero) post triennium a die, quo vota simplicia emiserint, computandum, si digni reperiantur, ad professionem votorum solemnium admittantur” — dubium exortum esset, anno 1860 die 20 Januarii Archiepiscopo Mexicano rescriptsit: „quod Regulares, post

emissa vota simplicia, et ante emissionem solemnem, non possint ad SS. Ordines promoveri titulo paupertatis.” Cfr Vecchiotti *Inst. can.* Lib. II § 90.

Ex praedictis sensus superioris Articuli in proposito est: „suspensionem per annum a collatione ordinum ipso jure incurrit, qui, excepto casu legitimi privilegii (quo nonnulli, etiam vota simplicia tantum nuncupantes, ex speciali favore Sedis Apostolicae aucti sunt, cfr Soglia p. III § 55), ordinem sacrum (seu majorem) contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii (etiam secluso pacto, de quo supra Art. II) clero in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum (solemniter) professo.” Haec tamen censura, uti legenti patet, im- prae sentiarum attingit solum ordinantem, non ipsum ordinatum.

Quod superius dictum fuit de casu excepto *legitimi privilegii*, pari modo valet, si forsitan in casu particulari per modum dispensationis contrarium sit indultum. Siquidem Sedes Apostolica non obstante praefata juris dispositione, quandoque ipsis Regularibus licentiam impertitur, suscipiendo SS. Ordines titulo paupertatis ante quam vota solemnia emiserint, addita tamen conditione: „ut si forte dimittantur a Religione, ab exercitio ordinum suspensi ma- neant, donec de ecclesiastico patrimonio non fuerint provisi.”

ART. V.

„Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso jure incurront Religiosi ejecti, extra Religionem degentes.”

Verba hujus canonis de prompta sunt ex Decretis S. C. C. editis sub Urb. VIII die 21 Sept. 1624, in quibus § 6 ita statutum le- gitur: „Ejecti (Religiosi), extra religionem degentes, sint perpetuo suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinariis locorum facul- tate dictam suspensionem relaxandi aut moderandi.”

Quid sit religiosi ejactio; — qua de causa et quomodo fieri possit aut debeat; — haec et alia istius generis in Prael. jur. can. expenduntur. Consuli etiam possunt Bened. XIV *de Syn. Dioec.* L. XIII cap. XI n. 20—27; Reiffenstuel L. III Tit. 31 n. 226—259; Luc. Ferr. *Biblioth.* V. *Ejicere* n. 40—70; Bouix *de Regular.* p. VI cap. II et alii. Satis igitur erit pro declaratione Articuli, de quo disserimus, tria sequentia disquirere:

1º Qui in casu *Religiosorum* denominatione intelligentur? Resp. Videntur intelligi omnes et soli Regulares solemniter professi: de illis enim in Decretis S. C. C., unde hic Art. desumptus est, manifeste agitur. Dein, etsi votorum simplicium professores saepenumero Religiosi vocentur, stricto tamen sensu, adeoque in re poenali, ipsorum nomine non veniunt. Tandem et ratio seu motivum, quo hic Articulus innititur, pro hac sententia valere videtur: Regulares stricte dicti, e religione ejecti, eo ipso ordinationis titulo carere censentur; id quod pro caeteris, ad titulum Beneficii vel patrimonii ordinatis, ita non est: urget igitur specialis ratio, cur isti prae reliquis suspensionis poena perstringantur.

2º Utrum *ejectorum* nomine, de quibus hic sermo est, comprehendantur etiam Regulares fugiti et apostatae, qui np. propria auctoritate a religione, quam professi sunt, ad tempus cum animo redeundi, vel in perpetuum cum animo non redeundi, discedunt? R. Negative. Eorum delicto in Decretis supra allegatis alio modo provisum est. „Rursus statuit (S. Congr.), sic dicitur ibidem § 3, ut fugiti et apostatae, sive habitum regularem deferant, sive non, possint et debeant ab Episcopo loci, ubi moram trahunt, in carcere conjici, Superioribus regularibus consignari secundum regularia instituta puniendi; utque ipsi quoque Superiores teneantur eos perquirere, ad religionem reducere, atque efficere, ut apprehendantur; salva tamen in omnibus facultate Ordinariis locorum attributa ex Decreto Concilii (Trid.) cap. 3 sess. VI.” Deinde, uti saepius jam notatum fuit, quanta etiam sit rationis similitudo, fas tamen non est, poenam in aliquos statutam de casu ad casum transferre.

3º Utrum praefata suspensione attingantur illi, qui se *injuste* ejectos fuisse contendunt? R. In textu generatim et indistincte legitur: „Religiosi ejecti, extra Religionem degentes.” Dicendum igitur videtur cum cl. Avanzini in *Comment.* p. 135, „qui ejecti sunt et extra Religionem degunt, sive juste sive injuste fuerint ejecti, quoisque extra Religionem degunt, sive extra suam quam professi sunt, sive extra aliam in quam possint canonice transire, suspensi manent ab exercitio ordinum. Qui autem putant se injuste extra Religionem ejici, habent juris remedia per recursum ad S. Sedem, a qua tamen non audiuntur, si extra Religionem degunt, juxta cap. 19 Conc. Trident. sess. XXV de *Regul.*, nisi forte prius obtineant facultatem reclamandi extra Religionem degentes.”

ART. VI.

„Suspensionem ab Ordine suscepto ipso jure incurunt, qui eundem Ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio: eum vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere Ordinis sic suscepti, donec dispensemur, declaramus.”

Certum exploratumque est, ordinationem ab Episcopo, quacumque censura irretito, etiam haeretico aut schismatico notorio, collatam, in se validam esse, dummodo ordinans sit ipsem valide ordinatus, debita materia ac forma utatur, intentionemque habeat faciendi quod facit Ecclesia. Ejusmodi vero ordinatio in Ecclesia Dei semper habita fuit ut illicita et sacrilega; quandoque etiam irrita legitur appellata, hoc scil. sensu, quod sic ordinati susceptorum ordinum munera explere omnino vetarentur. Confer Soglia p. III § 43. — Plures quoque poenae, ut sacrilegæ istiusmodi ordinationes cohibentur, in jure inveniuntur statutæ. Vide cap. 1 et 2 de Schismaticis; item cap. 1 et 2 de Ordinatis ab Episcopo qui renuntiavit Episcopatu, etc.

In primo membro superioris Articuli (missis caeteris casibus de quibus antea dubitatio erat) suspensionem ab ordine suscepto S. Pontifici reservatam ipso jure incurunt; qui eundem ordinem recipere *praesumpserunt*, sive scienter ac mala fide receperunt a) ab excommunicato, suspenso, vel interdicto *nominatim denunciatis*, seu vitandis juxta priorem partem capituli *Ad evitanda* Martini V (cfr dicta Tit. II Art. XVI; item Tit. IV Art. I), b) ab haeretico vel schismatico *notorio*, seu qua tali publice noto, licet denunciatus non fuerit.

In altero ejusdem membro a verbis „eum vero” dicitur is, qui *bona fide* h. e. ignoranter seu non scienter, a quopiam eorum (de quibus supra in primo membro) est ordinatus, „exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensemur.” Verbis istis speciali modo formulatis duo videntur indicari: a) hoc in easu non incurri suspensionem proprie dictam, seu poenam ad emendationem delinquentis inflictam; sed potius meram *prohibitionem* ab ordinis exercitio boni *communis* causa, conformiter ad reg. 23 juris in 6^o

„sine culpa , nisi subsit causa , non est aliquis puniendus.” Cfr Reiff. in reg. cit.; Avanzini *Comment.* p. 139; item dicta *de Cens. in genere* in Prooemio q. III. b) Casum hunc non esse S. Pontifici reservatum; sed eum , qui bona fide a praedictis personis ordinatus fuit , quoad exercitium ordinis sic suscepti a proprio Episcopo dispensari posse , quemadmodum cap. 2º *de ordinatis* etc. in terminis edicitur : „Cum clericis qui ab excommunicato Episcopo *ignoranter* ordines reeperunt per suos poterit Episcopos dispensari.”

ART. VII.

„Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in praedicto examine rejecti fuerint: nec non Clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis , si ordinentur extra suam dioecesim , dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium , vel non praemissis ante Ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum , suspensionem ab Ordinibus sic suscep-tis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurront: Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.”

Hoc Articulo referuntur duo casus peculiares: primus concernit clericos saeculares exteros, ultra quatuor menses in urbe Romae commorantes; alter a verbis *nec non* respicit clericos pertinentes ad aliquem ex sex Episcopatibus suburbicariis, videlicet Ostiae et Velletri, Porto et S. Rufinae, Albano, Frascati, Palestrinae, et Sabinae.

Priores, de quorum ordinatione jam pridem a Clem. VIII et Alex. VII nonnulla praescripta erant (Luc. Ferr. V. *Ordo Art. III n. 82*), ad normam hodiernae Constitutionis Pii IX suspensi-onem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure tribus modis incurront; nimirum a) eosdem recipiendo ab alio quam suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii; b) eos recipiendo

ab alio quam suo Ordinario absque praevio examine coram eodem Urbis Vicario; c) eos recipiendo etiam a proprio Ordinario, posteaquam in praedicto examine rejecti sunt. Postiores, de quorum ordinatione per Alex. VII in Const. *Apostolica sollicitudo* plura similiter sancta erant (cfr Luc. Ferraris l. c. n. 83), ad tramitem praesentis Constitutionis eadem suspensionis poena duobus modis afficiuntur; videlicet a) ordines suscipiendo extra suam Dioecesim, litteris dimissoriis sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; b) ordines suscipiendo, non praemissis ante ordinem sacrum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana sacerdotum a Missione nuncupatorum.

Nomine *exterorum*, de quibus in prima parte sermo est, intelliguntur quivis clerici saeculares, qui nec ad Dioecesim Romanam, nec ad unam ex sex suburbicariis (de his enim in posteriori parte agitur) pertinent; ut autem in casibus supra expositis propter indebitam ordinum susceptionem praefatae censurae reapse subjacent, altera conditio, seu commoratio in Urbe ultra quatuor menses, insimul adsit, oportet. Verbum *commorantes*, quo utitur Pontifex, supponit insuper, ordines contra hujus Artieuli statutum suscipi tempore quo in Urbe mora trahitur; consequenter poena memorata extendi nequit ad eos, qui post commorationem quatuor mensium Romae factam, inde discedunt, ac postea cum dimissorialibus sui Ordinarii absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel sine praevio examine coram Ipso instituto, ab alio Episcopo ordinati fuerint. Cfr Avanzini in *Comment.* p. 139 seq.

Quod autem in fine Articuli edicitur de suspensione „ab usu Pontificalium per annum”, quam vicissim „Episcopi ordinantes” ipso jure incurront, concernit utrumque casum supra expositum.



Titulus VI.

Interdicta latae sententiae reservata.

ART. I.

„Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso jure incurront Universitates, Collegia et Capitula, quo-

cumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis ejusdem Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia.”

Id quod hoc Art. sub poena *interdicti* R. Pontifici speciali modo reservata prohibetur Universitatibus, Collegiis et Capitulis, quo cumque nomine nuncupentur, illud ipsum Tit. I Art. IV hujus Constitutionis sub excommunicationis sententia vetatur singularibus personis, cujuscumque status, gradus seu conditionis fuerint. Quocirca ne actum agere videamur, hic pro insertis haberi volumus, quae ibidem sub 2^o et 3^o de iniqua appellatione „ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium” adnotata sunt. Materia utriusque Articleli prorsus eadem est. Discriben solū habetur in ratione poenae, subjecti et cooperationis in delicto. Ibidem sermo est de excommunicatione; hic de interdicto. Ibidem puniuntur „omnes et singuli,” sive personae singulares; hic communitates, seu corpora moralia. Ibidem feriuntur etiam illi, „quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit;” hic cooperantes silentio praetereuntur, atque adeo — mutata eatenus primaeva ordinatione Bullae *Coenae* — non videntur amplius interdicto subjaciere.

ART. II.

„Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Judice, vel a jure interdictis; aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso jure incurront, donec ad arbitrium ejus cuius sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.”

Ad formam hujus canonis, qui magna ex parte iisdem fere verbis desumptus est ex cap. *Episcoporum 8 de privilegiis* in 6^o, duae personarum classes partiali interdicto subjiciuntur.

Primam constituunt „scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato judice, vel a jure interdictis.” Ob particulam *scienter* hic appositam cum celebrantes tum

celebrari facientes (utrosque enim respicit) a poena hujus delicti liberat quaevis ignorantia, etiam solius poenae, dummodo non sit affectata, aut conjuncta cum ingenti temeritate, prout saepe saepius jam fuit dictum. — Quaeri vero potest ac debet: quinam in casu per „celebrantes vel celebrari facientes” intelligantur? item de quibus „locis interdictis” hic sermo sit? Antiqui Canonistae in suis commentariis ad cap. *Episcoporum* quoad has quaestiones varie sentiunt. Putant plures ibidem agi de solis personis a jurisdictione Episcoporum *exemptis*; item de solis locis interdicto *generali* subjectis. Ratio illorum haec est, quod Bonifacius VIII, Episcoporum et aliorum Praelatorum querelis excitatus (sicuti ibidem legitur), Decretum suum hisce verbis exordiatur: „ne aliqui saeculares aut regulares quantumcumque exemptionis seu libertatis Sedis Apostolicae privilegiis muniti etc.”, adeoque poenam appositam tulisse videatur ad comprimentam *exemptorum* audaciam; exempti vero tantum in casu *generalis* interdicti suas exemptiones invocare videntur. (Plura videsis penes Castro Palao *de Cens.* D. V p. VIII § III n. 5, et alios ibi allegatos). Verum quia nihil horum in praesenti Articulo legitur, at contra tenor illius generalis et indefinitus est; cum aliis probatis auctoribus, qui et olim ita opinabantur, dicendum potius videtur, sermonem hic esse de omnibus personis, etiam non *exemptis*, quae ipsa met *celebrant* seu divina officia peragunt, vel *celebrari faciunt*, seu curant ab aliis peragi effectu secuto. Item de omnibus locis interdictis, etiam *particulari* interdicto subjectis, dummodo qua talia *specialiter et expresse* denunciata fuerint: quandoquidem post Extrav. *Ad evitanda Mart.* V nemo sub poena ulla tenetur „aliquem vitare, aut *interdictum ecclesiasticum* observare, nisi sententia, prohibitio, suspensio vel censura hujusmodi fuerit in vel contra personam, collegium, Universitatem, ecclesiam aut *locum certum* a judice publicata vel denunciata *specialiter et expresse*.” Cfr Bonacina *de Cens. in part.* d. IV q. III p. II r. 8; item Avanzini in *Comment.* p. 142.

Alteram classem efficiunt „nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes.” Adverte hic primo, objectum hujus prohibitio-
nis esse omnes et solos nominatim excommunicatos, qui scil. per S. Pontificem, Episcopum, aut aliam competentem auctoritatem (hoc in casu non refert) expresse et *specialiter* sunt denunciati. Conse-

quenter poena hujus Articuli non contraheretur propter admissionem alicujus nominatim suspensi vel interdicti, nec etiam ob admissionem alicujus excommunicati, qua talis publice noti, non tamen specialiter et expresse denunciati. Adverte secundo, heic non agi de quacumque participatione cum nominatim excommunicatis; sed de ea, qua iidem ad *divina officia*, puta Missam, Vespertas, et similia, vel ad *Sacra menta*, quaecumque illa sint, vel ad *ecclesiasticam sepulturam*, scil. ritum aut locum sacrum, vere *admittuntur*. Itaque si quis cum hujusmodi excommunicato officiis divinis solum assisteret, vel ab eo Sacra menta mere recipere, vel caderet ejus ad sepulturam ecclesiasticam tantum comitaretur, poenae hic fulminatae non subjaceret; haec enim et similia veram admissionem non constituunt. Quinimo quum admissio ad *divina officia*, *Sacra menta*, aut *ecclesiasticam sepulturam* (de quibus hic agitur), actum auctoritatis supponere videatur, cum probatis Theologis ac Canonistis haud improbabiliter affirmari potest, hoc loco (aliud quippe est de admittentibus in clausuram, vide supra Tit. II Art. VI et VII) illos tantum proprio sensu *admittentes* vocitari, qui posunt non *admittere*, quales sunt Parochi, Rectores, et alii, verbo, „ad quos spectat prohibere vel admittere aliquem ad hujusmodi actus,” uti loquitur Castro Palao l. c.

Hisce delibatis, dicendum restat, quae sit natura interdicti, quod recensitae personae ob memorata delicta ipso jure incurrere declarantur; et quomodo interdictum istud cesseret seu auferri censeatur. Interdictum, quod propterea incurritur, est *partiale*, sive, prout dicitur in textu, „ab ingressu ecclesiae” tantum; eaque poena non physice aut materialiter, sed moraliter et formaliter accipienda est; privat quippe ejusmodi poena usu activo et passivo divinorum in ecclesia. Cfr. Bonacina *de Cens. in part. D.* V p. V n. 11 seq.— Quantum ad cessationem illius non omnes idem sentiunt: attamen cum Castro Palao loc. supra cit., Bonacina l. c. D. IV q. II p. VI n. 11, et aliis, admittendum videtur, interdictum istud, praestita satisfactione ad arbitrium ejus cuius sententiam contempserunt, sponte sua absque nova absolutione cessare. Enimvero licet censura stricte dicta, tanquam poena medicinalis ad tempus inficta, secuta emendatione, sponte sua non cesseret, sed absolutione tollenda sit (cfr. n. 11 *de Cens. in gen.*); aliud tamen passim traditur, casu quo auctor censurae sub certa conditione eam infligit, simulque decla-

rat, ipsam durare solum ad conditionis impletionem, prout hic fieri videtur per verbum *donec* etc. Ratio est, quod tunc in ipsa censurae lege ejusdem absolutio, impleta conditione, censetur implicite contenta. Cfr Reiffenstuel L. V Tit. 39 n. 241.

Nota. Pro majori dictorum claritate hoc loco recolere juvat duos alios Articulos supra expositos, cum praesenti materia intime conexos. Videlicet Art. XVII Tituli II, quo excommunicatione R. Pontifici reservata plectuntur „clericis scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a R. Pontifice nominatim excommunicatis et ipsis in officiis recipientes.” Item Art. I Tituli IV, in quo excommunicatione nemini reservatae subjacere dicuntur „mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos.” Hos Articulos cum praesenti comparando, perspiciet quisque, illorum materiam, etsi diversam, quandoque convenire seu coincidere posse; v. g. si Parochus scienter et sponte quempiam a R. Pontifice nominatim excommunicatum ad divina officia admitteret, adesset, aut certe adesse posset insimul communicatio in divinis et receptio in officiis. Quaeri igitur potest, an talis sua agendi ratione ad normam hujus Constitutionis duplici censura, excommunicationis scilicet et interdicti, afficiatur? Respondet Avanzini in suis *Commentariis* p. 142, „qui jam incurunt excommunicationis poenam R. Pontifici reservatam, de qua sancit Articulus XVII (Titul. II), non videntur incurgere utramque poenam, tum illam excommunicationis, tum hanc interdicti ab ingressu ecclesiae; quum poenae non sint multiplicandae pro eadem causa, nisi constet esse multiplicandas.” Quod si ita sit (sic autem esse, probabiliter defendi potest), pro recta superioris Articuli notione addendum est: ipsum intelligi de personis et casibus, a quibus et in quibus ob hujusmodi crimen excommunicationis sententia non fuit contracta. Ita cum praefato auctore oportatur etiam Victor Pelletier in opusculo *Decrets et canons du conc. oecum. du Vatican* p. 279.

„Denique quoscumque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso jure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.”

Quemadmodum in epilogo, ad Tit. IV apposito, servantur ac denuo inculcantur *excommunicationes* a Conc. Trid. primum latae, facta tamen limitatione quantum ad poenam anathematis, de qua sess. IV, in Decreto *de editione et usu sacrorum librorum* agitur; ita hoc loco sine ulla limitatione aut restrictione innovantur *suspensiones* et *interdicta* sententiae latae, quae ab eodem Concilio primum inficta sunt. — Suspensiones et interdicta ista pro majori facilitate infra append. II in extenso referemus.

„Quae vero censurae sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, Nostris, aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris canonibus praeter eas, quas recensimus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt sive pro R. Pontificis electione, sive pro interno regimine quorūcumque ordinum et institutorum regularium, nec non quorūcumque collegiorum, congregationum, coetuum locorumque piorum cujuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus.”

Patet ex hoc paragrapho, praeter censuras hucusque recensitas, quae nimur in hac ipsa Constitutione speciatim insertae sunt, vel ab ipso Trid. Concilio primum statutae seu induetae sunt, eas quoque censuras in suo robore permanere, quae a RR. Pontificibus aut saeris canonibus, sive pro R. Pontificis electione, sive pro interno regimine particularium Institutorum cujuscumque nominis aut generis latae sunt. Advertas tamē singulare disserimen, quod illas inter et istas in ratione obligationis existit. Piores dicuntur vim habere, non secus ac si primum in hac ipsa Constitutione editae fuerint (vide Prooemium hujus Const.); atque adeo si forte quae in desuetudinem abiissent, a tempore ipsius reviviscere censemur. Postiores vero in suo robore permanere declarantur, prout a Summis Pontificibus et SS. canonibus latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt; proindeque in eo statu permanent, quo erant anno 1869, quin praesens Constitutio eas vel deleaf vel innovet. — Censuras illas hic enumerare, haud necesse putamus. Quoad primum punctum, sive electionem S. Pontificis, videri potest *Codex canonum* auctore Gaspare de Luise Lib. II Tit. VII. Quoad alterum, seu peculiaria Instituta prae caeteris consulenda

sunt singulorum Constitutiones, regulae ac decreta. Attamen, quod ad primum attinet, adjungere hic lubet Responsum S. Poenitentiariae de die 4 Aug. 1876, quo edicetur: „omnes et singulos, qui Societati Catholico-Italicae, eum in finem institutae, ut Sede Apostolica vacante populus Romanus concurrat in S. Pontificis electione, nomen dant, vel eam promovent, aut ei quomodocumque favent, vel etiam adhaerent, ipso facto incurrire excommunicationem latae sententiae R. Pontifici speciali modo reservatam.” Cfr *Nouv. Rev. Théol.* T. VIII p. 462 sq.

„Ceterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quae ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi umquam debere, aut posse comprehendendi facultatem absolvendi a casibus et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis explicita ac individua mentio facta fuerit: quae vero privilegia aut facultates, sive a Praedecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Coetui, Ordini, Congregationi, Societati, et Instituto, etiam regulari cuiusvis speciei, etsi titulo peculiari praedito, atque etiam speciali mentione digno a quovis umquam tempore huc usque concessae fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus et abolemus, minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus, comprehensis, vel non, in corpore juris, aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacumque firmitate roboratis quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus et derogamus.”

Superius in fine Tituli I hujus Constitutionis expositum ac declaratum fuit generale statutum seu decretum, in causa absolutonis serio pensandum: scilicet generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris R. Pontifici reservatis, haud sufficere pro absolutione a duodecim casibus ad formam istius Articuli R. Pontifici

speciali modo reservatis. In prima parte hujus paragraphi proclamatur aliud principium, in materia *absolutionis summopere etiam attendendum*: nimurum in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis Sedis Apostolicae nullo modo ac ratione intelligi aut comprehendendi posse „facultatem absolvendi a casibus et censuris quibuslibet R. Pontifici (etiam simpliciter tantum) reservatis.” Principium istud, non secus ac alterum de quo supra l. c., nihil novi aut insoleti continet: fundatur quippe in ipsa reservationis natura. Quid est enim *casus reservatus*? Est *casus*, a quo praeter ipsum reservantem, ejus in officio superiorem aut successorem, nemo unus extra mortis articulum directe absolvere potest sine facultate expresse data (cfr Pauwels *de Cas. res.* prolegom. n. 14 seq.). Patet igitur, quare in concessionibus ac privilegiis Sedis Apostolicae de casibus et censuris R. Pontifici reservatis formalis explicita ac individualia mentio fieri debeat, ut quis ab iis directe absolvere valeat.

Quoad *revocationem* privilegiorum aut facultatum — qua de re in altera parte superioris paragraphi sermo est — animadverendum est, revocationem istam non ita late patere ac illam, de qua in fine Tituli I verba fecimus. Ibidem agitur de quibuscumque indultis, tam personalibus, quam realibus; heic vero de realibus tantum, et quidem de illis solum, quae „euilibet Coetui, Ordini, Congregationi, Societati, et Instituto”, verbo, quae corpori morali a S. Sede ante diem praesentis Constitutionis concessa fuerant. Permanent itaque — quantum ad *absolutionem* a casibus et censuris R. Pontifici *simpliciter* reservatis — facultates personales; imo et reales, quae alicui personae ratione officii aut dignitatis antea legitime impertitiae erant. Hisce dietis congruit Responsum S. Poenit. 5 Dec. 1873: Praelatos Regulares vi privilegiorum, quibus antea gaudebant, non posse absolvere *suos* subditos a casibus papalibus in hac ipsa Constitutione *simpliciter* reservatis (cfr *Nouv. Rev. Théol.* T. VI p. 61). Quandoquidem Praelatorum Regularium privilegia, uti docet S. Ligorio *de privilegiis* cap. I n. 3, censeantur realia seu ordini concessa; adeoque ex illis, quae hic expresse revocantur et supprimuntur. Praeterea, quum in hac ipsa Constitutione, uti § praecedente visum est, nihil novi decernatur quoad censuras a RR. Pontificibus aut SS. canonibus, sive pro S. Pontificis electione, sive pro interno regimine particularium Institutorum dudum latas, eas etiam Ordinum aut Institutorum facultates, quae respiciunt

hujusmodi censuras, in sua integritate persistere, haud improbabiliter defendi ac sustineri posset. Cfr Avanzini in *Comment.* p. 153 seq.

„Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam *Sess. XXIV*, c. VI de reform. in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac Nostra Constitutione servatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus.”

Probe notum est (cfr de *Poenit.* n. 232), duos dari casus, in quibus Episcopi jure quasi-ordinario, sive ex delegatione juris absolvere queant a peccatis et censuris S. Pontifici reservatis. Primus, qui hoc paragrapho expresse memoratur, concernit casus *occultos*. „Liceat Episcopis, sic dicitur in Trid. l. e., in irregularitatibus omnibus et suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, et in quibuscumque castibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in Dioecesi sua per seipso aut Vicarium a se specialiter deputandum in foro conscientiae gratis *absolvere*, imposta poenitentia salutari. Idem et in haeresis crimen in eodem foro conscientiae eis tantum, non eorum Vicariis, sit permissum.” Hoc Trid. decretum in praesenti Const. Pii IX partim fuit extensum, partim majori luce affusum. Quandoquidem ante datum hujus Constitutionis receptum erat, quemadmodum S. C. C. iterato edixerat, „facultatem Episcopo tributam decreto cap. 6 sess. XXIV non extendi ad casus qui novis SS. PP. constitutionibus post Concilium Tridentinum fuerint Sedi Apostolicae reservati.” (Vide DeCRET. S. C. Inq. de die 18 Julii 1860, quod referunt *Mélanges de Théologie* p. 609 seq). Dubium vero erat, an praedicta facultas a Tridentino Episcopis concessa, sit revocata per Bullam *Coenae* quoad haeresim et alios casus in ea reservatos Pontifici? (Qua de re confer Ligorio L. VII n. 82. 83 et alios ibidem allegatos). Impræsentiarum res ista, quantum ad *censurarum* *absolutionem*, accurate definita est. Possunt Episcopi in vim Trid. decreti absolvere a quibuscumque censuris *occultis* Apostolicae Sedi hac ipsa Constitutione servatis, iis tantum exceptis, quae in ea Titulo I Sedi Apostolicae *speciali modo* reservantur.

Alter casus, in quo Episcopi jure Decretalium Tit. *de sent. ex-comm.* a casibus et censuris R. Pontifici reservatis, etiam publicis, absolvere valent — ita tamen ut sic absoluti propter impedimentum temporale (excepta puerili aetate), illo sublato, se quāprimum sistant Sedi Apostolicae, ejusdem mandatum excepturi — continet, dum ipsemēt censuratus propter impedimentum corporale aut canonicum Sedem Apostolicam, ejusve delegatum, pro absolutionis beneficio personaliter adire nequit. Cfr Ligorio L. VII n. 84—92. Hie quidem casus, seu potius facultas tali in casu absolvendi, in superiori § non dicitur *firma* permanere, sicuti de priori casu in terminis legitur; verū nihil etiam invenitur, quod ejusdem revo-cationem innuat aut denotet. Illa igitur facultas, quantum ad casus R. Pontifici simpliciter reservatos, imo et specialiter reservatos (exceptis tamen duodecim excommunicationibus, de quibus in fine Tituli I fuit actum), in eodem statu permanere videtur. Plura videsis in opere periodico *Nouv. Rev. Théol.* T. IV p. 243 sq.

„Decernentes has Litteras, atque omnia et singula, quae in eis constituta ac decreta sunt, omnesque et singulas, quae in eisdem factae sunt ex anterioribus Constitutionibus Prae-decessorum nostrorum, atque etiam Nostris, aut ex aliis sacris Canonibus quibuscumque, etiam Conciliorum Generalium, et ipsius Tridentini, mutationes, derogationes, ratas et firmas, ac respective rata atque firma esse et fore, suosque plenarios et integros effectus obtinere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, et Apostolicae Sedis Nuntios, ac quosvis alias quacumque praeeminentia, ac potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eoram cuiilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari ac definiri debere; et irritum atque inane esse ac fore quidquid super his a quoquam quavis auctoritate, etiam praetextu cu-juslibet privilegii, aut consuetudinis inductae vel inducendae, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter conti-gerit attentari.”

Ex clausulis hoc § appositis — quibus non modo irritum atque inane declaratur quidquid super his a quoquam quavis auctoritate, aut practextu cuiuslibet privilegii, attentatur; sed quaevis insuper consuetudo indueta vel inducenda tanquam *abusus* reprobatur — deducere licet, nullam consuetudinem, utut diuturnam, contra hanc ipsam Constitutionem praevalere, aut a poenis in ea latis eximere posse. Id quod sic reprobatum est, ex communi doctrina ut irrationalibile habendum est, atque adeo legitimam consuetudinem contra legem constituere nequit. Cfr Soglia p. I § 21 al. 3^a.

„Non obstantibus praemissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, nec non consuetudinibus quibusvis, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque.”

Decretum irritans, quod hic adjicitur, in sua amplitudine complectitur omnes anteriores consuetudines in contrarium, etiam particulares a tempore immemorabili existentes. Cfr Soglia p. I § 21 a V. *Porro consuetudo* etc.

„Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae Constitutionis, ordinationis, limitationis, suppressionis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum.”

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Sexagesimo Nono, Quarto Idus octobris, Pontificatus nostri anno vicesimo quarto.

M. CARD. MATTEI Pro-Datarius

N. CARD. PARACCIANI CLARELLI.

Visa de Curia

Dominicus Brutus

Loco † Plumbi

J. Cugnoni.

Appendix I.

Excommunicationes sententiae latae a Conc. Trid. primùm statutae seu inductae.

~~~~~  
1a.

*De editione et usu sacrorum librorum.*

SESS. IV IN DECRETO SIC INSCRIPTO.

„Nulli liceat imprimere , vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primùm examinati probatique fuerint ab Ordinario, sub poena anathematis et pecuniae in Canone Concilii novissimi Lateranensis apposita. Et, si regulares fuerint, ultra examinationem, et probationem hujusmodi, licentiam quoque a suis Superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris, juxta formam suarum ordinationum. Qui autem scripto eos communicant, vel evulgant, nisi antea examinati probatique fuerint, eisdem poenis subjaceant quibus Impressores. Et qui eos habuerint, vel legerint, nisi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur.”

Haec tamen excommunicatio , seu poena anathematis , non est ex integro servata , sed ad normam Constitutionis *Apostolicae Sedis* limitatur ad eos , qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt , aut imprimi faciunt. Confer dicta in fine Tituli IV.

2a.

*De necessitate S. Communioni praemittendi  
Confessionem Sacramentalem.*

SESS. XIII CAN. 11.

„Ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem

et condemnationem sumatur; statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris, necessario praemittendam esse Confessionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, praedicare, vel pertinaciter asserere; seu etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus existat.”

3<sup>ia</sup>.

*De usurpatione bonorum cujuscumque ecclesiae aut pii loci.*

SESS. XXII CAP. XI DE REFORM.

„Si quem Clericorum, vel laicorum, quacumque is dignitate, etiam imperiali, aut regali, prae fulgeat, in tantum maiorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus Ecclesiae, seu cuiusvis saecularis, vel regularis beneficii, Montium Pietatis, aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, census ac jura, etiam feudalia, et emphiteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se, vel alias vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas Clericorum, aut laicorum, seu quacumque arte, aut quocumque quaesito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare praesumpserit, seu impedire, ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipientur; is anathemati tamdiu subjaceat, quamdiu jurisdictiones, bona, res, jura, fructus, et redditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositae personae, pervenerint, Ecclesiae, ejusque administratori, sive beneficiato integre restituerit; ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit. Quod si ejusdem Ecclesiae patronus fuerit, etiam jure patronatus ultra praedictas poenas eo ipso privatus existat. Clericus vero, qui nefandae fraudis et usurpationis hujusmodi fabricator seu consentiens fuerit, eisdem poenis subjaceat: nec non quibuscumque beneficiis privatus sit, et ad quaecumque alia beneficia inhabilis efficiatur;

et a suorum Ordinum executione , etiam post integrum satisfactionem , et absolutionem , sui Ordinarii arbitrio suspendatur.”

4a.

*De falsa opinione relata ad matrimonia clandestina  
ac filiorum familias.*

SESS. XXIV CAP. I DE REF. MATR.

„Dubitandum non est , clandestina matrimonia , libero contrahentium consensu facta , rata et vera esse matrimonia , quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit , et proinde jure damnandi sunt illi , ut eos Sancta Synodus anathemate damnat , qui ea vera ac rata esse negant , quique falso affirmant , matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse , et parentes ea rata vel irrita facere posse.”

5a.

*De raptu mulieris matrimonii causa , et cooperatione in eo.*

SESS. XXIV CAP. VI DE REF. MATR.

„Decermit Sancta Synodus , inter raptorem et raptam quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit , nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore sit separata , et in loco tuto et libero constituta , illum in virum habere consenserit , eam raptor in uxorem habeat ; et nihilominus raptor ipse ac omnes illi consilium , auxilium et favorem praebentes , sint ipso jure excommunicati.”

6a.

*De violatione libertatis contrahendi matrimonium.*

SESS. XXIV CAP. IX DE REF. MATR.

„Ita plerumque temporalium dominorum ac magistratum mentis oculos terreni affectus atque cupiditates excaecant , ut viros , et mulieres , sub eorum jurisdictione degentes , maxime divites , vel spem magnae haereditatis habentes , minis et poenis

adigant cum iis matrimonium invitatos contrahere, quos ipsi domini vel magistratus illis praescripserint. Quare cum maxime nefarium sit, matrimonii libertatem violare, et ab eis injurias nasci, a quibus jura expectantur; praecipit Sancta Synodus omnibus, cujuscumque gradus, dignitatis et conditionis existant, sub anathematis poena, quam ipso facto incurvant, ne quovis modo directe vel indirecte subditos suos, vel quoscumque alios cogant, quominus libere matrimonia contrahant.”

## 7a.

*De praestando auxilio adversus contradictores  
clausurae Monialium.*

## SESS. XXV CAP. V DE REGUL.

„Bonifacii VIII Constitutionem, quae incipit, *Periculoso*, renovans Sancta Synodus, universis Episcopis, sub obtestatione divini judicij, et interminatione maledictionis aeternae, praecipit, ut in omnibus monasteriis sibi subjectis, ordinaria, in aliis vero Sedis Apostolicae auctoritate, clausuram sanctimonialium; ubi violata fuerit, diligenter restitui; et ubi inviolata est, conservari maxime procurent, inobedientes atque contradictores per censuras Ecclesiasticas aliasque poenas, quamcumque appellatione postposita, compescentes, invocata etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Quod auxilium ut praebatur, omnes Christianos Principes hortatur Sancta Synodus, et sub excommunicationis poena, ipso facto incurrenda, omnibus magistratibus saecularibus injungit.”

## 8a.

*De violatione clausurae Monialium.*

## SESS. XXV EODEM CAPITE.

„Ingredi autem intra septa monasterii (Monialium) nemini liceat, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerit, sine Episcopi vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda.”

9<sup>a</sup>.

*De coactione mulieris ad vitam religiosam, et  
cooperatione in tali actu.*

SESS. XXV CAP. XVIII DE REGUL.

„Anathemati Sancta Synodus subjicit omnes et singulas personas, cujuscumque qualitatis vel conditionis fuerint, tam Clericos quam laicos, saeculares vel regulares, atque etiam quilibet dignitate fungentes, si quomodocumque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam, praeterquam in casibus in jure expressis, ad ingredendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque religionis, vel ad emitteendam professionem; quiue consilium, auxilium vel favorem dederint; quiue scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere; quoquo modo eidem actui vel praesentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint.”

10<sup>a</sup>.

*De impeditione mulieris, ne pro sua voluntate vitam  
religiosam amplectatur.*

SESS. XXV EODEM CAPITE.

„Simili quoque anathemati subjicit (Sancta Synodus) eos, qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem vel accipiendi vel voti emitendi quoquo modo sine justa causa impedierint.”

11<sup>a</sup>.

*De duellantibus, eorumque cooperariis.*

SESS. XXV CAP. XIX DE REFORM.

„Detestabilis duellorum usus, fabricante diabolo, introduc-tus, ut cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur. Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, et quocumque

alio nomine, Domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac jurisdictione et dominio civitatis, castri aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligentur, et, si feudalia sint, directis dominis statim acquirantur. Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuae infamiae poenam incurvant; et ut homicidae, juxta sacros Canones, puniri debeant; et si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant Ecclesiastica sepultura. Illi etiam, qui consilium in causa duelli, tam in jure quam facto dederint; aut alia quacumque ratione ad id quemquam suaserint, necnon spectatores, excommunicationis ac perpetuae maledictionis vinculo teneantur: non obstante quocumque privilegio, seu prava consuetudine, etiam immemorabili.”

---

## Appendix II.

### Suspensiones et Interdicta sententiae latae a Concilio Tridentino primūm inficta.

---

#### S U S P E N S I O N E S .

1<sup>a</sup>.

*De exercitio Pontificalium in aliena Dioecesi.*

SESS. VI CAP. V DE REF.

„Nulli Episcopo liceat, cuiusvis privilegii praetextu, Fontificalia in alterius dioecesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subjectas tantum; si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, et sic ordinati ab executione Ordinum sint ipso jure suspensi.”

2<sup>a</sup>.

*De majorum ordinum susceptione cum litteris dimissoriis  
a Capitulo, sede vacante, illegitime datis.*

## SESS. VII CAP. X DE REF.

„Non liceat Capitulis, sede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex juris communis dispositione, quam ex eujusvis privilegii aut consuetudinis vigore, alicui, qui Beneficii ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere. Si secus fiat, . . . sic ordinati, si in minoribus Ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, praesertim in criminalibus gaudeant: in majoribus vero ab executione Ordinum, ad beneplacitum futuri Praelati sint ipso jure suspensi.”

3<sup>ia</sup>.

*De Ordinum collatione et susceptione ab Episcopo Titulari  
sine proprii Praelati consensu aut litteris dimissoriis.*

## SESS. XIV CAP. II DE REF.

„Nemo Episcoporum, qui Titulares vocantur, etiam si in loco nullius dioecesis, etiam exempto, aut aliquo Monasterio eujusvis Ordinis resederint, aut moram traxerint, vigore eujusvis privilegii sibi de promovendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, etiam praetextu familiaritatis continuae commensalitatis sua, absque sui proprii praelati expresso consensu, aut litteris dimissoriis ad aliquos sacros aut minores Ordines, vel primam Tonsuram promovere seu ordinare valeat. Contra faciens ab exercitio Pontificalium per annum, taliter vero promotus ab executione Ordinum sic susceptorum donec suo praelato visum fuerit, ipso jure sint suspensi.”

\*

4<sup>a</sup>.

*De Ordinum collatione et susceptione a quovis alieno Episcopo sine testimonio seu litteris commendatitiis proprii Ordinarii.*

SESS. XXIII CAP. VIII DE REF.

„Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cuiusvis generalis, aut specialis rescripti vel privilegii praetextu, etiam statutis temporibus permittatur; nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur; si secus fiat, ordinans a collatione Ordinum per annum, et ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.”

5<sup>a</sup>.

*De impetracione et concessione litterarum dimissoriarum contra formam Decreti Tridentini, de quo*

SESS. XXIII CAP. X DE REF.

„Abbatibus, ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum intra fines alicujus dioecesis consistentibus, etiam si nullius dioecesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, Tonsuram, vel minores Ordines conferre: nec ipsi Abbates, et alii exempti, aut Collegia, vel Capitula quaecumque, etiam Ecclesiarum cathedralium, litteras dimissorias aliquibus Clericis saecularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant. Sed horum omnium ordinatio, servatis omnibus quae in hujus S. Synodi decretis continentur, ad Episcopos, intra quorum dioecesis fines existant, pertineat: non obstantibus quibusvis privilegiis, praescriptionibus, aut consuetudinibus etiam immemorabilibus. Poenam quoque impositam iis qui contra hujus S. Synodi sub Paulo III decretum, a Capitulo, Episcopali Sede vacante, litteras dimissorias impetrant; ad illos, qui easdem litteras non a Capitulo, sed ab aliis quibusvis, in jurisdictione Episcopi

loco Capituli , Sede vacante , succendentibus , obtinerent , mandat extendi ; concedentes autem dimissorias contra formam decreti , ab officio et beneficio per annum sint ipso jure suspensi.”

6<sup>a</sup>.

*De promotione seu ordinatione per saltum.*

SESS. XXIII CAP. XIV DE REF.

„Cum promotis per saltum , si non ministraverint , Episcopos ex legitima causa possit dispensare.”

Hoc Tridentini Decretum , etsi in eo expresse non dicatur , sic ordinatum ipso jure suspendi ab exercitio Ordinis male suscepti , ita tamen , adstipulante usu et praxi , passim intelligitur , ideoque recensendum est inter suspensiones Tridentinas . Cfr Avanzini in *Comment.* p. 114.

7<sup>a</sup>.

*De celebratione matrimonii et nuptiarum benedictione  
sine licentia proprii Sponsorum Parochi.*

SESS. XXIV CAP. I DE REF. MATR.

„Praeterea eadem Sancta Synodus hortatur , ut conjuges ante benedictionem Sacerdotalem , in templo suscipiendam , in eadem domo non cohabitent ; statuitque benedictionem a proprio Parocho fieri ; neque a quoquam , nisi ab ipso Parocho , vel ab Ordinario , licentiam ad predictam benedictionem faciendam alii Sacerdoti concedi posse ; quacumque consuetudine , etiam immemorabili , quae potius corruptela dicenda est , vel privilegio , non obstante . Quod si quis Parochus , vel alias Sacerdos , sive regularis sive saecularis sit , etiam si id sibi ex privilegio , vel immemorabili consuetudine licere contendat , alterius Parochiae sponsos sine illorum Parochi licentia matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit ; ipso jure tamdiu suspensus maneat , quamdiu ab Ordinario ejus Parochi , qui matrimonio interesse debebat , seu a quo benedictio suscipienda erat , absolvatur.”

8<sup>a.</sup>*De Episcopis concubinariis.*

SESS. XXV CAP. XIV DE REF.

„Episcopi quoque, quod absit, si ab hujusmodi crimine (concubinatus) non abstinuerint, et a Synodo Provinciali admoniti, se non emendaverint, ipso facto sint suspensi.”

## INTERDICTA.

1<sup>um.</sup>*De non denunciatione Episcopi illegitime absentis.*

SESS. VI CAP I. DE REF.

„Crescente vero contumacia (Episcopi absentis ultra alios sex menses), ut severiori SS. Canonum censurae subjiciatur, Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens sub poena interdicti ingressus ecclesiae eo ipso incurrienda infra tres menses per litteras seu nuntium Romano Pontifici denunciare teneatur.”

2<sup>um.</sup>*De illegitima concessione litterarum dimissoriarum a Capitulis ecclesiarum, Sede vacante.*

SESS. VII CAP. X DE REF.

„Non liceat Capitulis Ecclesiarum, Sede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias, seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex juris communis dispositione, quam etiam cuiusvis privilegii, aut consuetudinis vigore, alicui, qui beneficii Ecclesiastici recepti, sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere. Si secus fiat, Capitulum contraveniens Ecclesiastico subjaceat interdicto.”

# INDEX.

---

CONSTITUTIO

## APOSTOLICAE SEDIS

documentis in ea  
indicatis munita, et commentariis illustrata.

---

|                                           | Pag. |
|-------------------------------------------|------|
| Prooemium ipsius Constitutionis . . . . . | 5    |

Objectum seu materia, quam SS. D. N. hisce Litteris  
moderari et temperare voluit. 6. — Scopus seu finis, quem  
Pius IX has Litteras edendo sibi praestituit. 7. — Locus  
seu fons, ex quo censurae ecclesiasticae, quae per modum  
sententiae latae jure Pontificio ante diem 12 Oct. 1869  
impositae erant, in posterum desumenda sunt. *Ibid.* —  
Modus seu norma in earum interpretatione tenenda: 8. —  
Censurarum illarum applicatio ad easus particulares. *Ibid.*  
— Earumdem diversa reservatio. 9.

### TITULUS I.

*Excommunicationes latae sententiae speciali modo Rom.*

*Pontifici reservatae, quibus subjacere declarantur:*

**Art.**

|                                                                                                                                                                                                                     |    |
|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|----|
| I. Omnes a christiana fide apostatae, et omnes et singuli haeretici, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac quilibet illorum defensores . .                                                            | 10 |
| Quid de his in Bulla <i>Coenae</i> constitutum esset. 10. —<br>Qui singulorum nomine intelligantur. 10—13. — Quando apostatae vel haeretico quâ tali receptatio, favor,<br>vel defensio censeatur exhiberi. 14. 15. |    |

|      |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                         |    |
|------|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|----|
| II.  | Omnes et singuli scienter legentes sine auctoritate<br>Sedis Apost. libros eorumdem apostatarum etc., eos-<br>demque libros retinentes, imprimentes, et quomo-<br>dolibet defendantes . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                         | 16 |
|      | Quaenam hujus rei respectu in Bulla <i>Coenae</i> et Re-<br>gula X Indicis pridem statuta essent. 16. — Expositio<br>praesentis canonis per singulas partes. 16—21.                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                     |    |
| III. | Schismatici et ii qui a R. Pont. pro tempore exis-<br>tentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel re-<br>cedunt . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                         | 21 |
|      | Unde hic Art. desumptus sit. 21. — Quomodo hae-<br>resis et schisma differant. 22. — Quid duabus parti-<br>bus seu membris hujus Art. denotetur. <i>Ibid.</i> — De quo<br>schismate hic agatur, et quae conditiones concurrere de-<br>beant, ut quis quā schismaticus aut recedens a R. Pon-<br>tificis obedientia, excommunicationi vere subjaceat. 22.<br>23. — Quid nominatim judicandum sit de Catholicis,<br>vulgo <i>Liberalibus</i> dictis, qui publice se gerunt tam-<br>quam solutos ab obedientia R. Pontificis. 24. — An<br>schismaticorum receptores etc. hoc Articulo comprehen-<br>dantur? <i>Ibidem.</i> |    |
| IV.  | Omnes et singuli ab ordinationibus RR. Pontifi-<br>cum ad universale futurum concilium appellantes,<br>nec non ii, quorum auxilio, consilio vel favore ap-<br>pellatum fuerit . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                 | 25 |
|      | Quid in Bulla <i>Coenae</i> hac de re statutum sit. 25. —<br>Quae sit natura istius criminis, et quid ipsius respectu<br>in Conc. Vatic. dogmatice definitum fuerit. <i>Ibid.</i> —<br>Quinam ad normam hujus Art. excommunicatione inno-<br>dentur. 25—27.                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                             |    |
| V.   | Omnes interficienes, mutilantes, percutientes, ca-<br>pientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter in-<br>sequentes S. R. E. Cardinales, etc. . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                               | 27 |
|      | Unde hic Art. depromptus sit, et quis ejus finis. 28.<br>— Quot et quae actiones in prima ejusdem parte sub                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                             |    |

## Art.

|                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                            |    |
|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|----|
| excommunicationis poenâ prohibeantur, et quid requiriatur aut supponatur, ut ideo memorata censura vere incurratur. <i>Ibid.</i> — Quinam in secunda ejus parte <i>ejicientium</i> nomine veniant, et quid per verba „a suis Dicēcesibus” etc. intelligatur. 29. 30. — Quae personarum classes in tertia illius parte ob cooperationem in praefatis actionibus pari poenâ afficiantur, et quid singularis denotetur. 30. 31.                                                                                                                                               |    |
| VI. Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticae etc. . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                              | 31 |
| Quinam primo loco <i>impedientium</i> denominatione comprehendantur; de qua jurisdict. eccl. hic sermo sit, et quid speciatim judieandum de iis, qui ejusdem exercitum non stricte inhibit, sed provocant seu extorquent. 31—33. — Quinam secundo loco <i>recurrentium</i> nomine designentur, et quid per <i>forum saeculare</i> in casu significetur. 33. 34. — Quinam tertio loco <i>edentium</i> voce compellentur, vel ad actiones hoc Articulo prohibitas auxilium, consilium vel favorem praestare censeantur. 34. 35.                                              |    |
| VII. Cogentes sive directe, sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas etc. . . . . .                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                             | 35 |
| Quid hujus rei respectu in Bulla <i>Coenae</i> constitutum esset. 35. — Quinam ob primum delictum hoc canone recensitum, sive ob violationem <i>privilegii fori</i> , hodieum excommunicatione feriantur, et quid in casu supponatur, ut ideo poena ista vere incurratur. 36. — Quinam ob alterum delictum, seu violationem <i>libertatis autjurium Ecclesiae</i> , excommunicationis poenâ in praesenti perstringantur; et quid nominatim intelligatur per <i>edentes</i> , per <i>leges et decreta</i> , item verba <i>contra libertatem aut jura Ecclesiae</i> . 36—38. |    |
| VIII. Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica etc.                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                   | 38 |
| Quinam in prima hujus Art. parte ob ejusmodi re-                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                           |    |

